DISSERTATIO THEOLOGICA DE CIVILI & ECCLESIASTICA POTESTATE...

Jacobus Trigland

Dissertatio Theologica

DE

CIVILI & ECCLESI-ASTICA POTESTATE.

ET

Vtriusque ad se invicem, tum Subordinatione, tum Coordinatione.

Occasione libelli Vedeliani

DE

Episcopatu Constantini Magni.

Conscripta & edita

à

IACOBO TRIGLANDIO,
S. Theologiæ Doctore, & in Academia Lugduno-Batava Professore, nec non Ecclesiæ ibidem Pastore.

AMSTELODAMI,
Apud JOHANNEM JANSONIUM.

ANNO CIƆ IƆ C XLII.

Æquo Lectori salutem.

P*Lacuit D. Nicolao Vedelio, S. Theologiæ Doctori & Professori in Academiâ Franekeranâ, Disputationem suam* de Potestate Magistratus in rebus Ecclesiasticis, *Daventriæ, cum ibi Professorem ageret, Amplissimi Magistratus autboritate suppressam, Franekeræ nunc, sub titulo* Episcopatus Constantini Magni, *in lucem edere. Quod ipsius factum sic satis temerarium multorum piorum ac prudentium animos haud parum conturbavit, quippe admodum de eo sollicitorum, quid eum moverit, aut in quem finem totum hoc spectet negotium. Imprimis quum considerant tragicam à quâ orditur præfationem. Mira enim statim in initio rerum novarum narrat studia, tragicaque & horrenda ex illis portendit & præsagit facinora. Narrat esse* quosdam qui res novas moliantur in Ecclesiâ, & introducere conentur doctrinam Pontificiam

tificiam de Poteſtate Magiſtratus in rebus Eccleſiaſticis: ſeque hinc inde acerbè traduci ob doctrinam Eccleſiarum Reformatarum, propoſitam, ſub initium anni trigeſimi octavi, in Diſputatione impreſſâ Daventriæ. *Hæc ſtudia. Mala inde oritura dicit eſſe* graviſſimas ſeditiones, tumultus, & bella civilia: quia doctrinam illam ſequitur præceps ad arma furor errantium populorum, unde ſanguinis oriuntur effuſiones, & omnia ſurſum ac deorſum vertuntur. *Gravia certè hæc ſunt & ſtupenda, ad quæ animus quilibet pius merito exhorreat. Sed unde habet D. Vedelius iſta? Ex rumore quodam vulgi, ut fieri interdum ſolet? Si hoc: contemni poſſet cum reliquis vanis, qui vel à vulgo promanare, vel in vulgus ſpargi, & ſtatim vanitate ſua perire & evaneſcere ſolent rumoribus. Sed intellexiſſe ſe ait* ex non paucorum fratrum, aliorumque virorum gravium & magnorum relatu & indiciis. *Hem! Ex indiciis & relatu virorum gravium & magnorum,*

norum, & fratrum non paucorum. Fide ergo dignum, imò extra dubium omne ponendum, quod narrat. Sed mirum quum hæc in Hollandiâ præsertim agi dicat, nihil eorum nobis qui in Hollandiâ degimus, & munere publico fungimur, innotuisse. Neminem enim hic novimus, non tantum qui tale quid audeat, sed qui vel in minimam talis ausi suspicionem venerit. Videtur verò digitum intendere in illos qui conatui ipsius, de disputatione illâ publicè ventilandâ & edendâ, obstiterunt; cum dicit, se male audire , vel hinc inde acerbè traduci, ob doctrinam in Disputatione illâ propositam : *hoc enim conjungit cum illis male sanis moliminibus. Itane? qui ista ipsius disputatione offensi fuere nonnihil, ideoque consultius fore judicarunt ut ea supprimeretur, doctrinam Pontificiam de Authoritate Magistratus in rebus Ecclesiasticis animo suo foverent, & in Ecclesias introducere conarentur? Inter illos fuit Synedrium Ecclesiæ Daventriensis, cujus consilio & rogatu, Amplissimus urbis istius Magistra-*

 tus

tus disputationem illam à publico arcendam esse censuit, ne graviores ex illâ contentiones in Ecclesiis nascerentur. Duo è Synedrio illo Pastores in Hollandiam ad nos accessere, alter ad functionem Ecclesiasticã in Ecclesiâ Leydensi, alter ad regimen Collegii Theologici Illust. ac Præpot. Hollandiæ & West-Frisiæ Ordinum: ille debito & consueto ordine, consensu & approbatione Amplissimi istius urbis Magistratus accedente, vocatus; hic verò decreto & authoritate Illustriss.: Ordinum accitus. Fuerunt & inter illos Professores S. Theologiæ in Academiâ Leydensi, (è quibus duo placide in Domino obdormiunt,) quippe qui disputationem istam calculo suo approbare modeste recusarunt, auditâ sc: ejus prælectione, D. Vedelio approbationem postulanti, coram humaniter obrespondentes: Talia se in lectione istâ observasse de quibus maturius cogitandum sibi esse judicarent. Quas cogitationes maturiores deinceps oportuno tempore communicare illi ipsi Professores jam nominati non detrectassent, siquidem D. Vedelio

delio visum fuisset illas exposcere. Sed ictum illum declinare maluit, utpote qui in colloquio, obiter cum ipso habito, facile intellexisset haud pauca esse quæ non admodum arriderent. Ego autem confestim paucula conjeci in chartam, quæ & ipsi communicata fuere, non reprehendendi gratiâ, sed occasionem & materiam ipsi præbitura accuratius, & aliquantò magis seriò, eâ de re cogitandi. Interea vir Reverendus & undequaque doctissimus D. Iacobus Revius, tunc temporis Ecclesiæ Daventriensis Pastor, & nunc Recturæ Collegii Theologici apud nos adhibitus, accuratum instituit istius disputationis examen, in quo omnia & singula quæ à D. Vedelio illic & dicuntur & allegantur, diligenter & serio expendit; ut si quando, urgente D. Vedelio, ab Amplissimo Magistratu Daventriensi accuratior aliquanto petitionis & consilii consistorialis ratio postularetur, in promtu ipsi esset & re & tanto petitore digna responsio. Sed forte respicit D. Vedelius Deputatos Synodi Frisiæ simul cum Pastoribus Ecclesiæ Leo-

vardiensis, utpote cum quibus negotium sibi fuisse novit in caussâ Poppii à Boorsma Pastoris, ob vitam vocationi non respondentem, legitimo judicio Synodico, etiam à Nobilissimis D. D. Ordinum Frisiæ Deputatis approbato & confirmato, Pastorali munere privati. In illos forte oculos intendit, quia sc: unus è Pastoribus Leovardiensibus ad Ministerium Ecclesiæ Leydensis, debito ac recepto ordine, concessit. Verum iste post suum è Frisiâ discessum tamdiu apud nos in Hollandiâ versatus non fuit, ut ipsi ejusmodi molimina Hollandica jure, imo vel aliquâ cum specie, imputari possint. Quapropter, quocunque animum oculosque convertamus, nusquam comparent quos criminis istius reos habeamus. Quin & omnes isti quorum hîc mentio facta est, ejusmodi notæ sunt ac famæ, ut nemo vel per somnium tale quid suspicari de illis debeat. Sed nec illæ ipsæ considerationes quas αὐτοσχεδιαςὶ in chartam conjeci tale quid indicant: quippe in quibus ab ipso D. Vedelio, nec in suo illo tractatu, nec in responsionibus

nibus suis cum illo editis, tale quid reprehenditur, imò quas ipse magnam partem approbat. Prodiit præterito anno libellus quidam anonymus, materiam istam tractans sermone belgico. An de illo quidpiam inaudiverit, eumque indigitare voluerit, nescio: ipse norit. At nec in illo doctrina Pontificia traditur, aut tale quid exhibetur quod vel minimam speciem tantorum moliminum præbeat. Quare piis & cordatis per totam Hollandiam omnibus, quibus disputatio aut dissertatio Vedeliana non satis arridet, ingens data est acriter cum ipso expostulandi materia. Quid enim gravius in viros graves, & fratres non paucos, committi potest, quam illos absque ullâ ratione, coram totâ Ecclesiâ, imo coram universo mundo, in tanti criminis suspicionem vocare? Sed malumus eum patientiâ & longanimitate vincere & convincere. Facile observamus ex ægritudine animi, ob non satis gratam, ideoque suppressam, disputationem, totam hanc tragœdiam à D. Vedelio esse excitatam. Quare satius existimamus ægritu-

 dini

dini isti cedere & concedere nonnihil, ut paulatim subsidat, & ad tranquillitatem se componat, quam acerbâ increpatione irritare eam magis & exasperare. Hoc unum sufficiat dicere, D. Vedelium, donec vel authores istius moliminis indicet; vel fratres illos non paucos, aliosque viros graves & magnos, è quorum relatu & indiciis intellexisse se illa testatur, nominet, meritò apud cordatos omnes & prudentes atrocis calumnæ reum haberi. Aliquis hic regerat forte, aut cogitet secum, Etiamsi viros supra nominatos à tanti facinoris suspicione facile absolvamus, inveniri tamen forte alios molimine isto gravidos, qui pariendi illud occasionem tantummodo venentur, illique captandæ tum libello aliquo, tum sinistris hisce de illo rumoribus viam sternant. Sed præterquam quod profari & testari liberè nobis liceat, non posse id de iis qui negotia Ecclesiastica tractant cuipiam in mentem venire, nisi cui non satis sanum sit sinciput. observandum: Nullâ ratione tale monstrum, etiamsi forte ab ali-

quo

quo conceptum jam esset, in lucem produci posse, per ordinem & vinculum, quo Ecclesiæ omnes, Ecclesiasticique conventus, & Ecclesiarum Pastores ac inspectores, inter se uniti sunt & copulati. Habentur enim singulis hebdomadibus in singulis Ecclesiis Consistoriales: singulis mensibus, aut unoquoque bimestri, aut summum trimestri spacio, Classicales: annis vero singulis, consentientibus D. D. Ordinibus singularum Provinciarum, præsentibusque illorum Deputatis, Synodici conventus. Quænam hic occasio aut via, quæ ratio, qui modus introducendi in Ecclesias Reformatas Belgicas doctrinam Pontificiam de Potestate Magistratus? Sed libellus prælo committendus hoc efficeret. Itane? An libellus aliquis tanto molimini sufficiat? Ineptus ille ac male sanus sit oportet, qui hoc sibi persuaserit. An Pastores omnes Ecclesiarum & inspectores, leves sint adeo ut unico libello à veritate se dimoveri, & in Pontificiorum sententiam pertrahi sinant? Apage istas ineptias. Sic ad querulam istam, aut tragicam potius,

D. Vedelii criminationem ſatis, quin & abunde, reſponſum ſit.

Ad rem ipſam propius accedendum. D. Vedelius gloriatur, & gloriando aliquoties repetit & inculcat, doctrinam iſtâ diſputatione ſuâ comprehenſam, doctrinā eſſe omnium Eccleſiarum Reformatarum: *unde ſequitur eos qui in doctrinâ iſtâ non acquieſcunt à Doctrina omnium Eccleſiarum Reformatarum receſſiſſe; & quia ab illâ receſſerint, quatenus ſaltem ab ea receſſerunt, ad pontificiam acceſſiſſe. Hîc ergo fundamentum & cauſa accuſationis iſtius ſeſe prodet: quare & illius diſquiſitioni diligentius paulo incumbendum; non tantum virorum modo nominatorum famæ ac exiſtimationis; ſed & veritatis, quam è verbo Dei amplexi ſunt, tuendæ gratia. Nam certè non temere (credo) nec abſque ratione, ſententiam Vedelianam non per omnia ſibi ſatisfacere indicarunt. Quare duo hîc inquirenda veniunt. Primò: An res ita ſe habeat, ut ſcil: ſententia D. Vedelii cum Eccleſiarum omnium Reformatarum do-*

ctrinâ

ctrinâ conveniat. Deinde quid hac de re, secundum Dei verbum, & Ecclesiarũ Reformatarum doctrinam, sentiendum sit & statuendum. Prius illud diligenter inquisivit, & sigillatim demonstravit, Rev. D. Revius in accurato suo examine: ex quo etiam haud difficile est posterius colligere. Attamen quia res est paulò pensiculatiori consideratione & explicatione digna, visum mihi fuit, ex consilio quoq; fratrũ nonnullorum ac virorum gravium & prudentum, rem ipsam in thesi paulò distinctius enucleare; eâq; occasione responsa D. Vedelii ad considerationes meas breviter examinare, ostendereq; quantum, inter illorum qui hîc per omnia cum ipso non sentiunt, & Pontificiorum sententiam, intersit. Ita omnibus innotescet num D. Vedelio in omnibus hîc credendum sit, totaque ipsius criminatio plenè planèque erit profligata: saltem patebit toti orbi Christiano nos à Papatu, etiam quoad hanc causam, quam longissimè abesse. Commodum autem accidit, nec dubium quin Deo sapienter ita disponente, quod

D. Ve-

D. Vedelius occasionem nobis dederit hac de re serio cogitandi, eamque accuratius paulo explicandi. Cum enim Papistæ peccent in defectu, non concedentes Politicæ potestati quod ei debetur circa res Ecclesiasticas: Arminiani verò in excessu, plus ei tribuentes quam ei debetur: ostendendum nobis nunc erit quo pacto viam inire deceat mediam, ut, nec ab unâ parte ad Papismum, nec ab alterâ ad Arminianismum deflectamus.

D. Vedelius dicit, Magistratus sceptrum, secundum doctrinam Ecclesiarum Reformatatum omnium, duos veluti apices habere, Potestatem nimirum Ecclesiasticam externam, & Potestatem Civilem. *Verum illud ego, nec in ullâ Confessione Ecclesiarum Reformatarum, nec apud ullum Reformatum Theologum inveni. Cum duobus apicibus sceptri haud male duo mucrones gladiorum convenirent. Vnaquæque enim potestas suo est armata gladio: Ecclesiastica spirituali, Politica carnali. Bonifacius octavus, quum utramque potestatem sibi*

arro-

arrogaret, spirituali quoque potestate in mundanam immutatâ, cum gladio Petri (ut vocabat) etiam Imperatorium conjungebat sibique arrogabat, nefariè abutens Apostolorum verbis Christo dicentium Luc. 22. vers. 38. Ecce hîc duo gladii. *Non credo D. Vedelium cum duobus illis sceptri apicibus duos gladios Magistratui velle assignare. Attamen tam seriò apicem utrumque Magistratui vendicat, ut porro dicere audeat,* Si Magistratui eripiatur potestas Ecclesiastica, non integer amplius Magistratus erit, sed ex parte tantum: quandoquidem ei ademta erit pars una potestatis ipsius, & quidem præcipua ac potissima, utpote quæ tanto nobilior est civili quantò anima corpore, salus & felicitas æterna prosperitate temporali præstantior est. *At nusquam vidi in verbo Dei, aut in Confessionibus Ecclesiarum Reformatarum, Magistratui attributam potestatem Ecclesiasticam: quare nec ei eripi illa potest. Potestas Ecclesiastica potestas est spiritualis,*

sita

sita in administratione Clavium regni cœlorum, feriens ipsum animum, & afficiens intrinsecè conscientias hominũ, quâ Deus, ut instrumento suo & medio utitur ad eorum conversionem & salutem. Et hac de causâ tantò nobilior dicitur civili, quantò anima corpore, salusque & felicitas æterna prosperitate temporali præstantior est. Sed hanc Theologorum Reformatorum nemo Magistratui attribuit; nec ullus pius & religiosus Magistratus attribui sibi volet. Quare mitigat hoc aliquantulum, vocans istam potestatem Ecclesiasticam, potestatem Ecclesiasticam externã, non quidvis pro libitu faciendi, sed secundum verbum Dei externè gubernandi Ecclesiam. *Sed verbum Dei potestatem Ecclesiasticam, etiam externam, externè gubernandi Ecclesiam, attribuit Pastoribus & Inspectoribus Ecclesiarum, qui propterea dicuntur Rom. 12. v. 8.* προϊστάμενοι. *1. Cor. 12. v. 28.* κυβερνήσεις. *& Heb. 13. v. 17.* ἡγούμενοι. *Certè hi externè gubernant Ecclesiam: nam externè coram hominibus, in Ecclesiâ visibili,*

obeunt

obeunt munus suum, & quæ administrant externa sunt media conversionis & salutis nostræ. Hanc tamen potestatem Ecclesiasticam externam, ex quâ facit alterum sceptri Magistratus apicem, egregiè expressam dicit à Constantino Magno, ut distinctam à potestate formali internâ & ministeriali Pastorum, dicendo, Vos estis Episcopi intra Ecclesiam, ego Episcopus extra Ecclesiam à Deo constitutus. *At pace D. Vedelii, ego non video potestatem istam sic bene expressam. An enim qui extra Ecclesiam à Deo Episcopus est constitutus potestatem habet Ecclesiasticam? Daturne potestas Ecclesiastica extra Ecclesiam? nec rectè expressit D. Vedelius verba & mentem Constantini. Nam redditurus rationem tituli istius sui, aversâ paginâ verba Constantini græcè sic citavit*, ὑμεῖς μὲν τῶν εἴσω τῆς ἐκκλησίας, ἐγὼ δὲ τῶν ἐκτὸς ὑπὸ Θεοῦ καθεσταμένος ἐπίσκοπος ἂν εἴην: *quæ ibi latinè sic reddidit*. Vos quidem eorum quæ intra Ecclesiam sunt; ego autem eorum quæ extra eam

eam ſum à Deo ſum conſtitutus Epiſcopus. *Quibus verbis Conſtantinus non ſignificat ſe Eccleſiæ Epiſcopum à Deo conſtitutum eſſe extra Eccleſiam: ſed (ut ipſe Vedelius reddidit) eorum quæ extra Eccleſiam ſunt. Aliud autem eſt Eccleſia, aliud ea quæ ſunt extra Eccleſiam: & Epiſcopatus eorum quæ ſunt extra Eccleſiam non infert poteſtatem Eccleſiaſticam. Sed de hoc dicto vide plura in Examine Clar. viri D. Iacobi Revii.*

Sic ergo ſtatuendum, Magiſtratum unum habere ſceptrum, cujus unus ſit apex, ſc: Poteſtas Civilis extra Eccleſiam in Republicâ; ſed quâ utatur etiam circa Eccleſiam & Eccleſiaſtica. Quia enim poteſtate illâ ſuâ procurare & promovere debet omne bonum ſubditorum ſuorum, temporale non tantum ſed etiam æternum, id autem legis coactione, & coactivâ ipſius poteſtate, fieri nequit, quapropter & Deus dedit filium ſuum, Euangelii & promulgatorem & ſubjectum, ac per illum Euangelii iſtius miniſterium, ſive miniſterialem poteſtatem Clavium regni cœlorum: ideo

ideo potestate illâ suâ, juxta Dei & filii ejus mandatum, admittere debet Magistratus, &, si pius est, admittit, & admitti ac in publico exerceri jubet ministerium illud, quo regnum Christi in ditione sua constitui faciat ac propagari, in nominis divini gloriam, & subditorum suorum salutem. An sic quidpiam decedit Magistratui? An potestas ejus aliquâ in parte hîc læditur, vel authoritas minuitur? Quare tragicis illis clamoribus, gravibusque querelis, & prolixâ de Ecclesiasticæ potestatis abusu in Papismo narratione, quibus paginas præfationis suæ haud paucas implevit, supersedere, totique isti labori sine detrimento parcere potuisset. Si quæ autem alia Potestas Magistratui adhuc competit, eam ostendat nobis Vedelius: sed ostendat plane & perspicuè, non ludens ambiguitatibus, nec vocum generaliorum involucris rem obscurans & involvens; quæque planè, perspicuè, & distinctè dixit, demonstret è verbo Dei & solidis rationibus. Nam quæ in illâ, tunc disputatione, nunc dissertatione de Episcopatu

Con-

Constantini Magni, tumultuariè, aut non satis præmeditatè, in chartam conjecit, hactenus cordatis & prudentibus non satisfecerunt.

Rectè rogat omnes & singulos, quod & nos cum ipso monemus ac rogamus seriò, ut considerent si quæ sit materia Theologica quæ prudentiam magnam requirat, certè eam in doctrinâ de Gubernatione Ecclesiæ oppidò necessariam esse. *Quapropter censemus hîc non ambulandum in latitudine, quæ, cum ambiguitate laboret, facile ab utrâque parte in causæ suæ patrocinium rapitur: sed prudenter & circumspectè loquendum esse, nihilque nisi quod ex ipso Dei verbo petitur proferendum. Prudentius igitur egisset si, cupiens sc: Bellarminum refutare, evidentibus potius S. Scripturæ testimoniis & exemplis, quam Doctorum Reformatorum dictis, aggressus eam fuisset. Quid enim quæso Bellarminus, aut scriptor quivis alius Pontificius, moratur dicta & testimonia Ecclesiæ nostræ Reformatæ? Quid ergo gravis & prudens lector hinc colli-*

colligat, quam D. Vedelium, sub prætextu refutandi Bellarminum, in Reformatos Ecclesiarum Belgicarum Pastores & Doctores stylum strinxisse? Sed & prudentiam videamus ab ipso hîc adhibitam aut ab omnibus adhibendam. Vt prudentiæ (inquit) quæ in explicatione materiæ istius Theologicæ requiritur consuleret, pro judicii sui mediocritate, ex doctrinâ Ecclesiæ quatuor maximas produxit, quas in eâ observandas esse existimat.

Primò, ut prætextu libertatis Ecclesiasticæ, hoc est, Ministrorum, tuendæ, non nimium ipsis, Magistratui autem nimis parum tribuatur: vicissim ne prætextu potestatis Magistratus asserendæ, huic nimium, ministris autem nimis parum tribuatur. *Hæc in thesi sic posita bona sunt, sed adhuc in latitudine manent, ac proinde non satisfaciunt. Ostendendum erat intra quos limites consistere deberent ministri, ne quâ in parte Magistratus potestatem lædant: quibus etiam cancellis se continere*

Magi-

Magistratus debeat ne ministrorum partes sibi rapiat. Sed forte hoc explicabitur in sequentibus. Utriusque (*inquit*) & defectus & excessus character est, si res in Papatum abeat, vel Hierarchicum, vel Politicum. *Rectè: videamus utrumque.* Hierarchicus (*inquit*) Papatus est, quando ministerium in dominium vertitur ἀνυπεύθυνον, & ei non solum gubernatio interna, ut par est, attribuitur, sed etiam externa. *Antequam pergat: velimus explicet nobis D. Vedelius quænam sit gubernatio externa Ecclesiæ quæ ministris non competat sed soli Magistratui, quandoquidem jam demonstratum, gubernationem etiam externam Ecclesiasticam Pastoribus & Inspectoribus Ecclesiæ deberi. Doceri hoc avidè expetimus, & ritè explicari. Pergat.* Et Magistratus (*ait porrò*) sub ministerium ita deprimitur, ut, vel Magistratus potestas circa Ecclesiastica dependere statuatur à Ministris, vel id quod Magistratui proprium est iis attribuatur, vel denique id

id quod Magiſtratui pariter & miniſtris certo reſpectu competit in ſolos miniſtros conferatur. *Ad Papatum iſtum Hierarchicum breviter dicimus; neminem eſſe inter Eccleſiaſticos in Hollandiâ, de quo ſuſpicandi vel minima ſit ratio, quod miniſterium velit converti in dominium ἀνυπεύθυνον, vel Magiſtratum ita deprimi ſub miniſterium, ut vel Magiſtratus poteſtas circa Eccleſiaſtica dependere ſtatuatur à Miniſtris, vel id quod Magiſtratui proprium eſt ſibi attribui, &c. Male ergo fecit D. Vedelius, cum ſuis fratribus nonnullis & viris gravibus, quod quibuſdam illorum tam abſurdæ ſententiæ, & immanis arrogantiæ notam inurere veritus non fuerit. Quare, quum ejuſmodi molimina in Hollandiâ agitari tragicè conqueratur, velimus illos indicet quos tanti criminis reos agat. Id enim & Eccleſiæ, & ſuæ, & bonorum omnium famæ debet. Pergit D. Vedelius & dicit*, Politicus Papatus eſt, quando Magiſtratui poteſtas abſoluta in rebus Eccleſiaſticis defertur, & ei

non

non solum gubernatio externa, sed & interna adscribitur, ministeriumque ita sub eum deprimitur, ut vel illud non immediatè à Christo, sed à Magistratu fluere statuatur, sive quoad substantiam ab eo dependere, vel ut Magistratui tribuantur actiones quæ propriæ sunt ministerii, vel ut quod Magistratui & ministris suo modo ac diverso respectu commune est soli Magistratui adscribatur. *Rectè, is dicitur Politicus Papatus: sed observent hoc sedulò qui architectonicam supremo Magistratui tribuunt potestatem in Ecclesiam, seu qui potestatem Ecclesiasticam subordinant potestati Politicæ architectonicæ, & qui ministrorum vocationem dicunt formaliter pertinere ad Magistratum. Eo enim nomine sententiam Vtenbogardi & Arminianorum, de subordinatione Potestatis Ecclesiasticæ sub Civili architectonicâ supremi Magistratus potestate in Ecclesiam, ut Politicum Papismum comprehendentem & introducentem, rejecimus hactenus, hodieque*

reji-

rejicimus: de quo æquus lector plura videre poterit in tractatu sequente.

Secundò (*inquit*) observandum in Gnbernatione Ecclesiæ, esse quædam divini juris, & in verbo Dei determinata, alia autem in verbo Dei non contineri, sed indifferentia esse, adeoque in libertate Ecclesiæ, cujus nutritius est Magistratus, & juris humani positiui esse. Illa sunt ἀκίνητα, seu immutabilia, ac à nullo homine variari possunt: Hæc autem κινητὰ sunt, seu mutabilia; sed quæ non nisi bono ordine, hoc est, consensu & authoritate Ecclesiæ, & Magistratus orthodoxi, mutari possunt. Illa ubivis locorum, & quicunque sit status Reip. in qua Ecclesia est, obtinere debent: hæc pro locorum, Rerumpublicarum, & ingeniorum quoque indole, diversa sunt. *Rectè, sic se res habet: sed quæ ἀκίνητα sunt explicari deberent, operamque dari ut ea semper Ecclesiæ integra inviolataque maneant.*

Tertiò observandum (*ait*) in statu

perturbato Ecclesiæ, & quando Magistratus supremus officium non facere vult, Ecclesiam, aut saniorem ejus partem, in extremo periculo religionis constitutam, plus potestatis, conjunctâ cum proceribus operâ, exercere posse, quam ordinariè. *Explicandum hîc esset quænam sit amplior potestas, quam Ecclesia sic constituta exercere possit. An Ecclesia, in extremo periculo religionis, ob neglectum à supremo Magistratu officium, plus potestatis habet quam ordinariè? An ergo Magistratu supremo officium faciente aliquid diminuitur de potestate Ecclesiæ? Quâ quæso in re? In prædicatione verbi? an in administratione sacramentorum? an verò in exercitio disciplinæ Ecclesiasticæ? an denique in electione, vocatione, & ordinatione ministrorum? An hæc omnia non pertinent ad Ecclesiam sub pio & orthodoxo Magistratu versantem, æquè ac ad eam quæ versatur sub impio & persecutore? Sed dicit,* plus eam potestatis exercere posse conjunctâ cum proceribus

ribus operâ. *Intelligit ergo aliquid poteſtatis Politicæ, quia ad eam exercendam proceres adhibentur. Ergo Eccleſiæ in extremo periculo conſtitutæ poteſtas Politica aliquâ ex parte competit.* Similiter (*dicit*) & Magiſtratum, de procerum & ſanioris partis Eccleſiæ conſilio, plus poteſtatis quam ordinariè, adhibere poſſe, ubi Eccleſia officium facere, aut rectè facere non vult. *Poteſtatiſne (rogamus) civilis an Eccleſiaſticæ? Eccleſiaſticæ deberet dicere; alioqui enim quæſtio hæc planè eſſet politica, utpote quâ quæreretur, An proceres in perturbato rerum ſtatu, & Magiſtratus ex illorum conſilio, plus politicæ poteſtatis poſſint exercere quam ordinariè: quæ quæſtio Theologis non convenit. Plus ergo poteſtatis Eccleſiaſticæ competeret Magiſtratui, ex procerum regni aut Reipublicæ, ſaniorisque Eccleſiæ partis conſilio, cum Eccleſia officium non facit, quam ordinariè officium illâ faciente. Verum rurſus quæro quanam in re? An in adminiſtratione & exercitio clavium regni cœlorum?*

an verò in electione, vocatione, & ordinatione ministrorum Ecclesiæ? Hæc distinctè deberent explicari, alioqui in illâ generali latitudine errores latere possunt. Et hoc (*inquit*) velut fundamento nititur Reformatio Religionis, ejusque conservatio, suscepta & continuata invitis multis qui supremas partes, tam in Ecclesiâ Christianâ, quam in Republicâ obtinebant, aut etiamnum obtinent. *Magistratui concessit, perturbato Ecclesiæ statu, plus potestatis Ecclesiasticæ; Ecclesiæ autem, Magistratu supremo nolente officium facere, plus potestatis Politicæ. Reformatio religionis fit invitis iis qui supremas partes in Ecclesiâ obtinent Ecclesiasticè: at invitis iis qui supremas partes obtinent in Repub. Politicè. Ergo in tali statu licebit Magistratui religionem reformare Ecclesiasticè, Ecclesiæ verò Politicè. Ecclesiasticè reformatur Religio, purius prædicando verbum Dei, & administrando sacramenta, restituendoque in Ecclesiâ omnia secundum normam verbi divini, eumque in finem*

finem ordinando idoneos miniſtros, eoſque Eccleſiis præficiendo: Politicè verò falſum omnem cultum è publico removendo, Jubendoque ut purior cultus ei ſubſtituatur, eoque fine advocando & expetendo Miniſtros, Eccleſiaſticè vocatos & ordinatos, quibus poteſtas fiat in publico functione ſuâ juxta normam verbi divini liberè fungendi, idque totum poteſtate coactivâ ſanciendo, ſtabiliendo, ac defendendo, coercendoque & cohibendo eos qui impedire illud aut turbare conantur. Ergone liceat illo modo Magiſtratui reformare religionem: hoc verò Eccleſiæ? Ita Poteſtates illæ, Politica ſcil: & Eccleſiaſtica, inter ſe commiſcebuntur: poteſtate Eccleſiaſticâ tranſlata ad Magiſtratum, & Politicâ ad Eccleſiam. Si diſtinctionem iſtam non rectè percepimus, doceat nos eam clarius, & apertius mentem ſuam exponat D. Vedelius, ut intelligi poſſit.

Quartò denique (*ait*) ſi, aut Miniſtri, aut Magiſtratus, abutantur poteſtate ſuâ, notandum; cavendum tunc eſſe ne ideo abrogetur ipſis poteſtas

quam ſecundum verbum Dei habent, aut diſputetur contra eam, ſed indicandi ſunt abuſus, & contra eos agendũ, & oſtendendũ ex verbo Dei quare iis acquieſcere nefas ſit, & ad verum uſum omnia ſunt revocanda: nec enim abuſus poteſtatis ipſam poteſtatem ſeu authoritatem tollit. *Novimus hoc, ſed nihil ad rem. Nec enim de uſu vel abuſu poteſtatis hîc quæritur, ſed de ipsâ poteſtate. Iudicium & declarationem hîc producit inſignis viri* Danielis Chamieri *de ejectione aliquot Epiſcoporum, factâ à ſupremâ Majeſtate Imperatoriâ, deque poteſtate ad illud faciendum: quia autem non alio fine ab eo hîc producitur, quam ut doceat, propter poteſtatis abuſum poteſtatem ipſam negandam non eſſe, non autem ut poteſtatem Imperatoriam ſuper, vel inſtitutione, vel exauthoratione Epiſcoporum probet aut aſſerat, non eſt hujus loci id examinare: alias cum opus erit de eo latius.*

Hac in re optandum eſſe, *dicit,* non ut Theologi orthodoxi infeſtis ſcrip-

tis

tis inter se concurrant, se convitiis & calumniis invicem petant, insidias alii aliis struant, scripta, dicta, facta, sententias, consilia affingant innocenti, quæ ei nunquam vel per febrim aut somnium in mentem venerunt, & dira quævis per inauditam malitiam contra eum moliantur. *Bene monet optandum non esse ut ista fiant; imò optandum est ut non fiant: fieri enim non potest quin ex illis quævis mala in Ecclesiam redundent. Quare dolemus eum calumniis orthodoxos petiisse, eisque innocentibus affinxisse consilia quæ nunquam, vel per febrim aut somnium, in mentem eis venerunt, quod sc: moliti sint vel moliantur doctrinam Pontificiam de Authoritate Magistratus in rebus Ecclesiasticis in Ecclesias introducere. Intentius urgere hæc possem, sed pacis causâ supersedeo. Videamus quid è contra optandum censeat,* Ut (*inquit*) conjunctis operis & animis inter se conveniant, & omnia quæ ad hanc rem faciunt in unum aliquod corpus, re totâ bene expensâ,

& probè distinctis iis quæ ἀκίνητα & quæ κινητὰ in hac materiâ sunt, congerant. *Non improbamus optatum, si commodè fieri id possit. Verum si D. Vedelius id sincere optasset, haud difficulter sui voti compos potuisset fieri, vel saltē ejus rei facere initium, quum disputationis istius suæ à facultate Theologica Leidensi peteret approbationem, præsertim viventibus eo tempore D. D. Walæo & Thysio. Tunc enim potuisset commodè cum istâ facultate de re totâ latius, si non coram, saltem per literas, conferre, præsertim cum ipsi responsum esset, multa in disputatione istâ fuisse observata, quæ accuratius aliquanto essent examinanda & ventilanda, antequam Facultas Theologica eam posset approbare. Vnde facile erit colligere aliud quid in animo fuisse D. Vedelio. Quid qualeve illud fuerit æquus lector ex eventu ipso judicet. Nos quod attinet, nihil nobis foret gratius quam ut omnium orthodoxorum sententiæ hac in re conveniant: verum hoc ab istâ D. Vedelii Dissertatione non est ut expectemus, cum in*

multis, & à veritatis tramite, & ab Ecclesiarum Reformatarum sententiâ, nonnihil recedat: quod tum vel maximè ex Clariss. viri D. D. Revii accurato examine, tum ex hac quoque meâ dissertatione aliquâ ex parte fiet manifestum. Occasionem examinis sui vir iste egregius in præfatione suâ placidè exposuit. Meæ hujus Dissertationis occasio subministrata est à D. Vedelio gravi suâ in orthodoxos Pastores Reformatos calumniâ, & responsis ipsius ad extemporanea mea interrogata, simul cum suâ Dissertatione editis. Non abripuit hîc nos sinister aliquis in D. Vedelium affectus. Cujus rei non opus est ut Deum testem invocemus. Faciunt hoc interdum (quod cum horrore dicimus) qui vel maximè suis affectibus indulgent. Ipsa nostra agendi ratio evidentissimum est rei istius argumentum. Amor veritatis ac pacis, honoremque Ecclesiarum Reformatarum Belgicarum, piorumque & Orthodoxorum fratrum nostrorum tuendi, hunc laborem à nobis poposcit, Conferantur hæc cum Dissertatione D. Vedelii. Ipse,

se, & si qui forte cum illo sentiunt, examinent sedulò, tum quæ in examine Disputationis ipsius, tum quæ in hac meâ dissertatione sunt exhibita, eaque summâ cum curâ appendant ad trutinam verbi divini, quò re totâ (juxta D. Vedelii votum) bene expensâ, omnibusque quæ ad hanc rem faciunt in unum aliquod corpus congestis, Theologi orthodoxi, diligenti eorum examine prævio, conjunctis operis & animis conveniant, cogitataque, dicta, & facta sua omnia ad promotionem veritatis & pacis unanimiter conferant.

DIS-

DISSERTATIO
DE
POTESTATE CIVILI ET ECCLESIASTICA.

CAPUT PRIMUM.

Continens introductionem ad rem.

SApientiſſimus Deus, quem confuſionis authorem eſſe negat Apoſtolus 1. Corinth. 14. verſ. 33. uti ordinem in rebus omnibus conſtituit, inter ſupera & infera, cæleſtia & terreſtria, temporaque ac vices temporum, & ſic deinceps: ita & præcipuè inter homines, ut creaturas ad imaginem ipſius conditas rationeque inſtructas, certum ſtatumque ordinem vult obſervari. Quid enim æquius, honeſtius, concinnius, quam ut qui ratione ducuntur, de ratione gloriantur, ratione omnia metienda eſſe arbitrantur, id quod rationis eſt potiſſimum & amplectantur & proſequantur? Nihil autem rationi convenientius eſſe ordine nemo ſanus negabit, quin & prudentes omnes quovis tempore ſenſere, docuere, inculcavere. Si quid inordinatum alicubi occurrit (quod certè, proh dolor! occurrit quam creberrimè) id non rationi, quippe à quâ illud deflectit penitus,

ſed affectibus inordinatis attribuendum censuerunt. Accedit quod ſine ordine quæcunque, quantumvis præclara ſint & illuſtria, intereant: ordine vero conſerventur & conſiſtant. Egregiè dictum ab hiſtorico, quod ſapientes quilibet non ſatis pro dignitate laudare ſe poſſe arbitrati ſunt, *Concordiâ res parvæ creſcunt: diſcordiâ res magnæ dilabuntur*. Ponamus loco concordiæ ordinem, loco diſcordiæ confuſionem: dicemus quod veritatis eſt ejuſdem, nec à mente authoris multum aberrabimus. Quia igitur Deus optimus ex immensâ ſuâ bonitate nobilem adeò creaturam, in gloriam bonitatis ac potentiæ ſuæ, per totum terrarum orbem multiplicari admodum, & quaſi in immenſum creſcere fecit: idem ſapientiſſimus ex ſua & ſapientia & bonitate ordinem quo conſervari optimè poſſet in ejus multitudine conſtitui voluit. Homines, quia ſociale ſunt animal, communitatibus & conventibus delectantur; in quibus ea quæ quiſque poſſidet, ex æquitatis etiam & juſtitiæ regulâ in commune conferunt commodum, atque inter ſe mutuo communicant: quod ut humano ingenio apprime eſt gratum, ita & communi conſervationi utile eſt admodum. In hiſce ni debitus ſit ordo, quod alias gratiſſimum eſt & utiliſſimum, in ſummam cedit humani generis perniciem: ita ut id quod cum ordine, amœnum valde, & quam

maxi-

maximè salutare reperitur, ordine destitutum summè noxium & detestabile deprehendatur. Manifestum hoc est in bellis, seditionibus, similibusque confusionibus. Ordinem vero nullum dari posse absq; potestate & regimine per se est quam manifestissimum. Ubi enim loquuntur omnes, nemo audit: ubi omnes imperant, nemo obtemperat: & cum affectibus omnia aguntur, ut in confusâ multitudine, necesse est ut ratio obruta conticescat.

Tres dantur in hominibus communitates præcipuæ: Prima est in singulis familiis: altera est in conjunctarum familiarum communitatibus, quæ Respublicæ latinis dicuntur: tertia est in communitatibus, quæ eandem profitentes in Deum fidem, eodem cultu religioso se Deo addicunt, quibus à græco vocabulo Ecclesiarum nomen datum est. In illis omnibus ut ordo conservetur, oportet ut sint qui regant & qui regantur; qui præsint aliis potestate, & qui subsint obædientiâ. Hinc est quod in familiis præsint liberis & famulis suis, cum patria & herili potestate, familiarum patres: In rebus publicis, cum potestate quæ dicitur Politica, Magistratus: In Ecclesiis Pastores & Presbyteri ut Ecclesiarum Episcopi sive Inspectores, cum potestate suâ quæ vocatur Ecclesiastica. Itaque triplex ordini inter homines conservando inservit potestas. De primâ autem nullus hîc nobis

bis sermo erit, quippe quæ vel nullâ vel prorsus exiguâ videtur laborare difficultate. In duas posteriores oculos nostros convertimus, de quibus plurimæ aliquot seculis per totum Christianum orbem motæ fuerunt concertationes. Diabolus enim, humani generis hostis infensissimus, ordinisque omnis perturbator, ut callidissimus, ita & audacissimus: hoc perpetuò operam dedit ut duas istas potestates, humano generi saluberrimas, & cum ritè administrantur suisque se continent limitibus, optimè inter se conspirantes, quam acerrimè in se invicem concitaret & committeret. Perturbationi huic fovendæ & promovendæ haud parum momenti addidit humani cordis arrogantia. Cum enim quilibet imperare malit quam obædire, leges dare quam accipere, præesse quam subesse, facile fit ut qui aliquâ quantulacunque demum pollet potestate, ampliare eam satagat, ejusque limites extendere. Verum cum fieri hoc non posse videatur, nisi alterius, quam sibi obstare opinatur, potestatis limites invadendo, eam sibi aliquâ saltem ex parte subjiciat; promtum est elato animo in hunc conatum omnes suas vires, studia sua omnia, convertere: præsertim ubi suam in ordine suo potestatem auctam nonnihil conspicit.

Ecclesiastica potestas vires sibi sumsit primum in Ecclesiâ, per hierarchiam Episcopalem,

copalem, unde quum paulatim progressu temporis maximis invaluisset incrementis, ad summum tandem in Episcopo Romano conscendit fastigium. Verum nec hîc sibi subsistendum esse humana existimavit arrogantia, rata commodam se nactam occasionem, supremam in orbe Christiano potestatem, nempe Imperatoriam, aggrediendi, eamque sibi reddendi obnoxiam. Hinc dissensiones inter Rempublicam & Ecclesiam; inter Imperium & Pontificatum: Hinc seditiones & bella: hinc urbium devastationes, agrorum & regionum depopulationes: hinc Principum in se mutuò, quin & subditorum in Principes, imò & filiorum in parentes suos, concitationes atque animationes, aliaque horrenda scelera & flagitia, cum totius Christiani orbis concussione & tremore, orta fuere. Et ne infando facinori prætextus pietatis deesset, Ecclesiæ tuendæ, & Ecclesiasticæ potestatis promovendæ causa fieri id, & fieri debere prætendebatur. Quorum omnium progressus & oppositiones quasi in compendium contraxit, & velut in tabella conspiciendos exhibuit, prout eos successivè sibi succedentes, aut se mutuo comitantes, secundum seriem temporum enarravit vir summus, &, ut generis, ita eruditionis ac virtutum laude Nobilissimus Philippus Mornæus Plessiacus.

Sed ex altera etiam parte non defuerunt

va-

variis temporibus qui in hoc unum incubuere ut Principes, summosque in Republica viros, ab Ecclesiasticâ potestate alienos redderent, velut à jugo Principibus præsertim viris, & qui inter alios eminent, intolerabili. Qui enim Principibus adulabantur, aut eorum se accommodabant affectibus: vel qui laxiori se dabant vitæ generi: vel qui res novas moliebantur in Ecclesia, suasque opiniones cum recepta è verbo Dei sententia non satis congruentes, in eam invehere studebant: Principum in Ecclesiam concitare & exacerbare solebant animos, ut illorum authoritate muniti, ea, quam sibi obstare sentiebant, potestate & disciplina Ecclesiastica è medio sublata, vel prorsus enervata, pro libitu grassari, & affectibus suis indulgere possent. Sic Arriani, Nestoriani, Eutychiani, & similes causam suam promovere & stabilire conati. Quibus auscultantes nimium, vel indulgentes, summi Imperatores aut Principes, vel Synodos Ecclesiasticas dissolvere, vel ad illas quos lubebat, aliis exclusis, advocare, Episcopos ejicere, aliosque illis substituere, etiam invitis Ecclesiis, & non auditis Ecclesiasticis conventibus: aliaque in contemtum ordinis Ecclesiastici committere veriti non fuerunt. Idem quoque moliti sunt Arminii asseclæ, qui, quum quinque suos Articulos, postea in Synodo Dordrechtana examinatos, & condemnatos,

tos, utpote efficaciam & certitudinem Gratiæ Dei universæ, Electionis scil; Redemtionis, Regenerationis, & Conservationis, à libero hominis arbitrio suspendentes, cum erroribus qui ex illis dependent aliis, in Ecclesias Belgicas, præcipuè Hollandicas, à quibus initium faciebant, introducere conarentur: præteritis & contemtis omnibus Ecclesiasticis conventibus, Presbyteriis, Classibus, Synodis, (quæ tamen ab initio usque Reformationis, nec invitis Magistratibus, ad illud usque tempus, in Ecclesiis illis obtinuerant, atque etiam tum obtinebant) libellum supplicem Illustrissimis Hollandiæ & West-Frisiæ Ordinibus obtulerunt, petentes *ut*, si *pro isto tempore oportunum non esset in legitimâ & liberâ Synodo, sub eorum Authoritate, præsidio, directione, judicioque cum Ecclesiasticorum judicio conjungendo, atque moderamine, articulos illos attentius considerare & examinare: & ipsi, & Orthodoxi, ex illarum illustrissimarum Celsitudinum decreto,* se *invicem super istâ controversiâ fraternâ charitate tolerarent: Neminemque qui, vel in Ecclesiasticâ, vel in Scholasticâ versaretur functione, aut qui in posterum ad ejusmodi functionem vocandus esset, vel* ἑτεροδοξίας *suspectum habere, vel à functione arcere, vel ullo quocunque modo gravare cuiquam liceret. Quo fine se suaque munera tutelæ ac protectioni Illustrissim. illarum*

cel-

celsit. contra omnes Censuras Ecclesiasticas commendabant. Hoc autem facilius ut obtinerent, sibique id ejusmodi ratione petere, & Celsit. ipsorum concedere licere, Illust. Ordinibus ut persuaderent, primum in illo suo libello supplice, ipsos D. D. Ordines non tantum *Hollandiæ & West-Frisiæ*, sed & *Ecclesiarum supremos Magistratus* appellarunt, *iisque supremam in rebus Ecclesiasticis authoritatem competere dixerunt:* deinde Coryphæus illorum *Iohannes* W*tenbogardus*, publico eam in rem scripto edito, hanc summis Christianis Magistratibus tribuendam esse potestatem contendit: quin & *Hugo Grotius*, præcipuus illorum inter Iureconsultos & Syndicos Patronus, Pietatis D. D. Ordinum proram ac puppim hoc in negotio sitam esse in libello suo contra *Doct. Sibrandum Lubbertum*, Orthodoxum Theologum Franequeranum, edito demonstrare conatus fuit. Quæ illinc dissidia, quæ contentiones, quæ turbæ, in Ecclesiis non tantum, sed & passim in Republica, ortæ sint, piget referre, (id enim nihil esset nisi infandum nobis renovare dolorem) præsertim cùm id eorum qui alicujus sunt ætatis memoriâ nondum exciderit.

Sic ergo & Potestas Ecclesiastica, postquam nimis evecta ipsam Ecclesiam sibi in uno homine arroganti obnoxiam in omnibus & morigeram reddidisset, Politicam quo-

quoque pedibus ſuis, vel ſubjecit interdum, vel ſubjicere ſaltem conata fuit: & rurſum in poteſtatem Eccleſiaſticam, quò proſterni illa prorſus & aboleri poſſet, animata & armata nonnunquam fuit Poteſtas Politica. Utrimque peccari negare nemo poterit qui rem æqua lance penſitabit. Plurima quoque ex illa confuſione, & ordinis, tum hujus, tum illius, perturbatione, ſeculis pene omnibus mala exorta fuiſſe, omnium fere temporum docet hiſtoria. Aſt unde hoc? Tum ex humana arrogantia, quæ ſuis ſe contineri limitibus non ſinit: tum ex non rite conſiderata & intellecta utriuſque Poteſtatis indole ac conditione. Quapropter haud parum conſulturus videbitur, & Eccleſiæ Dei, & publicæ tranquillitati; ſi quis utriuſque Poteſtatis conditionem, affectus, atque limites, ex utriuſque origine ac natura, prout ea in verbo Dei conſideranda venit, accuratius paulo explicuerit. Scripſere quidem acriter & luculentè hac de re viri magni in Eccleſia Reformata: ſed qui potiſſimum ſe oppoſuere Papatui, libertatemque & Eccleſiæ, & Politicæ poteſtatis, contra Eccleſiaſticam tyrannidem Romani Pontificis aſſeruerunt. Verum cum ſcripta illorum ab Arminianis aliiſque in fraudem libertatis & legitimæ poteſtatis Eccleſiaſticæ ſubinde trahantur, & hactenus vix quidpiam ex profeſſo hac de re ſcriptum editumque videatur,

deatur, saltem latino sermone, operæ pretium meritò censetur, ostendere quo pacto, illæsâ prorsus Potestate Politicâ, etiam Ecclesiæ sua integra tribui, conservarique possit & debeat. Stet enim in vigore suo Politica, quæ Magistratibus à Deo concessa est, authoritas: agnoscant eam subditi quilibet, in quacunque sint functione, & revereantur; legibusque Magistratuum suorum obtemperent. Fruatur Ecclesia sua qua Christus eam instruxit & donavit libertate: agat ea quæ ex mandato Christi in salutem hominum agere tenetur: doceat & doceatur verbum Dei sincerè, sine admixtione fæcis humanæ; inque eam rem pastores sibi eligat idoneos; doceat, promoveat veram pietatem, & exorbitantes arceat vel corrigat. Muniat & promoveat Magistratus sua authoritate negotia isthæc Ecclesiastica: Ecclesiaque, & Ecclesiarum Pastores, Magistratibus ut subsint, eisque debitam ut præstent obædientiam, seriò quoslibet moneant, eisque exemplo suo præeant: certè vigebit pietas, & cum pietate publica tranquillitas: Nec Deus, qui ordine, non confusione, delectatur, suam utrique ordini ritè observato & administrato benedictionē non denegabit.

Hæc omnia quò melius intelligantur, & intellecta observentur, rem hanc totam, saltem quò ad ejus summam, pensiculatius

culatius paulò examinemus, à Potestate Politica initium facientes.

Cap. II.

De Potestate Civili, ejusque origine & conditione.

PRimò ut concessum & indubitatum hîc supponimus Potestatem, istam à Deo concessam esse hominibus in eminentia constitutis, & ex potestate Dei in homines originem suam ducere: quare opus non est ut multis hoc probetur. Verum quò ex origine illa conditio istius potestatis melius & distinctius cognoscatur, videndum quænam, qualisque sit ea Dei potestas, undę hæc potestas inter homines orta fuit. Deus omnipotens, qui unus & unicus est in tribus personis, Patre, Filio, & Spiritu sancto, quia potentiâ sua, juxta beneplacitum suum, omnia è nihilo creavit, eaque conservat potenti sua bonitate, præest rebus omnibus in cœlo & in terra, absolutaque in omnes authoritate pollet & potestate. Psal. 103. vers. 19. *Iehovah in cœlo præparavit thronum suum, & regnum ipsius omnibus dominatur*. Item Psal. 24. vers. 1. 2. *Iehova est terra & plenitudo ejus, orbis & habitantes in eo: quia ipse super maria fundavit eam, & super flumina firmavit*

mavit eam. Hoc eſt regnum Dei quod dicitur regnum potentiæ, quia cum potenter omnia crearit, & conſervet, potenter etiam omnibus dominatur, & gubernat omnia. Quare hoc regnum etiam dicitur univerſale, quia ad omnia ſe extendit, nulla re prorſus excepta. Sicut enim nihil eſt vel in cœlo, vel in terra, quod à Deo creatum non ſit & conſervetur: ita & nihil eſt quod ſe dominio, poteſtati, ac gubernationi ejus ſubtrahere queat. Hanc Dei poteſtatem & dominium David egregiè celebrat, & celebrando nos agnoſcere docet in omnibus. 1. Paral. 29. v. 11. 12. *Tibi ô Iehovah eſt magnificentia, & potentia, & honor, & gloria, & victoria: Cuncta enim quæ in cœlo ſunt & terrâ tua ſunt: tuum eſt Iehovah regnum & exaltatio ſuper omnes: Et divitiæ, & gloria à facie tuâ ſunt: atque in manu tua ſunt virtus & fortitudo; in manu quoque tua eſt magnificare & roborare omnes*. Ad hoc igitur regnum pertinent & homines ut Dei illius creaturæ: & quidem peculiari ratione ut creaturæ ratione prædita: quas proinde non tantũ dirigit, ut reliquas omnes creaturas, pro arbitrio, utens illis ut inſtrumentis ſuis ad declarandam potentiæ & ſapientiæ ſuæ gloriam: ſed quibus leges ponit ut iis rationali ſua voluntate promtè & alacriter obædiant. Hæc poteſtas divina per ſe eſt ſatis manifeſta. Sed quia in hominum multitudine, ordinis & tranquillitatis

tatis causa, esse debent qui aliis præsint, & in illos potestate utantur: Deus ex sua illa potestate, potestate quadam convenienti illos instruxit. Fundamentum illius posuit in prima hominis creatione, cum marem primum condidit, cui deinde fœminam adjunxit, dans eis simul junctis generandi, & generatione sobolem suam multiplicandi facultatem. Prima maris creatio marem fœmina superiorem fecit, illumque huic præesse jussit: cui deinde succedens prior mulieris à serpente seductio, & mariti ad eandem defectionem allectio, muliebrem istam subjectionem haud parum auxit. Has subjectionis muliebris & maritalis præeminentiæ causas docet Apostolus 1. Timot. 2. vers. 12. 13. 14. *Non permitto mulieri authoritatem usurpare in viros: Adam enim prior formatus est, deinde Eva: Et Adam non fuit seductus, sed Eva seducta rea transgressionis facta est.* Ex generatione prodiit Parentum in liberos potestas, quam & natura ipsa dictat, & Deus ipse sancivit quinto Decalogi præcepto, Sed cum per generationem, vi benedictionis divinæ, familiæ inciperent multiplicari, & multiplicatæ, societatis causa, inter se conjungi & coire in communitates, ut ordo inter illas paxque & concordia conservaretur, communium sive publicarum rerum directio senioribus tribuum & familiarum demandata fuit: quo-

quorum authoritatem ac regimen Deus authoritate ſua ac benedictione munivit. Atque hæc origo eſt prima Magiſtratuum inter homines, aut in publicis & majoribus illorum ſocietatibus. Ex creatione itaque humani generis in uno homine mare orta eſt virilis & maritalis dignitas: Ex generatione, cui benedixit ipſe Deus, dicendo Gen. 1. verſ. 26. *Creſcite ac multiplicamini, & replete terram*, prodiit poteſtas parentum in liberos: Ex multiplicatione hominum per generationem, familiarumque coalitione in cætus & communitates, poteſtas ſeniorum ac primorum, & conſequenter Magiſtratuum in publicis illis ſocietatibus. Quam conſtitutionem & poteſtatem ſibi gratam eſſe, rivulumque eſſe poteſtatis ſuæ in totum genus humanum, evidenter oſtendit Deus in populo ſuo Iſraelitico, cum Iudices ac Principes tribuum, à Moſe, qui ſolus adminiſtrando regimini, & controverſias judicando, non ſufficiebat, conſtitutos, ratos habuit, regimenque illud, & ordinem à Moſe introductum, porrò in eodem populo conſervari voluit. Vid. Exod. 18. verſ. 21. 22. & Deuter. 1. verſ. 13. 15. Atque hinc eſt quod Apoſtolus diſertè teſtetur Rom. 13. v. 1. 2. 4. *Poteſtates haſce à Deo eſſe*, utpote *à Deo ordinatas*, quin & *Dei eſſe miniſtros*. Et quia in illa poteſtate & authoritate, Dei poteſtatem inter homines repræſentant,

Deo-

Deorum quoque nomine in Scripturis insigniuntur. Exod.22. vers.28. Psal.82. vers. 1.6. & Ioh.10. vers.34.

At videndum cui fini serviat hæc in hominibus ordinata potestas. Publicæ quidem tranquillitatis, & ordinis conservandi causa, data est; sed & ulteriori fini servire eam, quæcunque demum sit, ex ipsa illius constitutione fit manifestum, sc: ut omnes sibi commissos ad officium Deo debitum præstandum quasi manu ducat. Æquum enim est, & rationi consentaneum, ut in ejus honorem cedat potestas quælibet, ejusque cultum promoveat, à quo originem suam duxit, & in homines promanavit. Deum, ut creatorem, bonique omnis fontem, à creatura rationali coli debere, ejusque statutis & præceptis strictè obædiri, ipsa docet hominis conscientia. Huc ergo tendere, & in hunc præsertim scopum collimare, ut homines decet quoslibet; ita & præcipuè illos quos præ aliis honore aliquo, aut dignitate Deus ornavit; ut qui non tantum pro se honorare Deum, sed & fidei suæ commendatos ad eum honorandum & colendum dirigere debeant. Hac igitur in re oportet maritum præire uxori suæ, parentes liberis: Uxorem verò marito obsequi, & liberos parentibus. Hîc oportuit, oportetque adhuc, seniores junioribus, Rectoresque iis quibus regendis præfecti sunt ductores esse

 & mo-

& monitores: juniores verò, & qui reguntur, ſanis ſeniorum, eorumque à quibus reguntur, monitionibus auſcultare: Atque hæc eſt cauſa ob quam Magiſtratus interdum, titulo *Cuſtodum utriuſque tabulæ legis*, decorentur. Non ut animi illorum vanâ Poteſtatis opinione inflentur, vel quidvis quod ipſis placuerit, in religione, aut circa religionem, licere ſibi arbitrentur: ſed ut officii admoneantur, & quem in finem tendere debeat illorum authoritas ſedulò cogitent. Certè homo quilibet, ratione officii ſui erga Deum, cuſtos eſt utriuſque tabulæ legis, quia quicquid ſumit præ manibus, imò cogitata ſua omnia, conceptuſque mentis & affectus cordis ſui, ad legis divinæ normam componere tenetur, atque eâ ratione legem illam inviolatam conſervare. Tales ſunt Patres omnes Matreſque familiarum reſpectu liberorum ſuorum, eorumque omnium qui ad illorum familias pertinent: ſuâ enim educatione & gubernatione id operam dare eos oportet ut in familiis ſuis Deus agnoſcatur debite & colatur. Magiſtratus autem, ut eminentiori & ampliori poteſtate præditi, à Theologis Orthodoxis iſto inſigniuntur elogio, eò quod publicâ ſuâ & coactivâ poteſtate plus hac in parte poſſint cæteris: quapropter & illorum officium requirit ut in hanc partem præcipuè incumbant. Hoc ſi ritè fuiſſet conſideratum à Pontifice Romano,

mano, ipsiusque adulatoribus, non tam egisset iniquè, tum cum quibuslibet Christianis, tum præcipuè cum iis quos Deus aliis præesse voluit: nec permisissent cujusvis ordinis homines, nec permitterent etamnum Principes, ita sibi à Pontifice Romano, & Synagogæ Romanæ Ecclesiasticis, imponi, ut cæca illis obsequerentur obædientia. Verum & ab aliis interdũ elogium illud non ritè & intelligitur & usurpatur, eò quod non satis attentè, & cum judicio, observatur unde ortum sit, & quò spectet. Unde & nonnunquam in perversum sensum trahitur, contorqueturque in præjudicium debiti ordinis, & potestatis à Christo, ut Rege spirituali, in regno suo speciali, quod est Ecclesia, constitutæ.

Si voluntati divinæ in lege ipsius patefactæ ab omnibus, pro statu cujusque ac conditione, auscultatum, obtemperatumque fuisset perpetuò, à primâ creatione & deinceps, ritè, debitè, ordinatè omnia ab hominibus fierent. Parentes liberos suos, seniores & primores eos qui & ætate & dignitate eis sunt inferiores, Magistratusque subditos suos instruerent, dirigerentque ad obædiendum serviendumque Deo. Liberi vicissim parentibus, subditique Magistratibus, & juvenes senioribus in eo se præberent morigeros. Sic verè in aureo viveretur seculo, cujus initium fuit statim

à creatione in primæva hominis integritate. Sed proh dolor! totum genus humanum à Deo defecit, debitumque obædientiæ & cultus divini officium negligendo, vinculum communionis suæ cum Deo nefariè dissolvit. Voluntatis enim Dei sui oblitus, fraudulentæ voci diaboli aurem fidemque præbuit. Hinc factum quod regnum illud Dei in homines, & creaturas adeò insignes, detestanda hominis inobædientia & rebellione, in regnum Satanæ immutatum sit. Quamvis enim homo cum reliquis creaturis, uti & ipse Diabolus cum angelis suis, dominio & potestati divinæ, etiam invitus, & sæpenumero inscius, subesse debeat, præcepto tamen Dei & monitioni parere recusat. Ita obnoxius quidem est manetque voluntati divinæ decernenti, & cum potentia, vel per potentiam, in omnibus potenter operanti, sine qua ne latum quidem unguem dimovere se potest: attamen jugum voluntatis præcipientis, quod humiliter & mansuetè subire deberet, de collo suo præfractè excussit & excutit. Diaboli enim, cujus allicio inescari se permisit, indolem maxima ex parte induit, quin & placitis ejus volens lubensque in omnibus obtemperat. Atque hæc causa est cur, quum mundus universus Deo jure omni subesse debeat, Satan tamen in S. literis, *Princeps* non tantum *hujus mundi*; verum & *Deus seculi hujus* appelletur,

pelletur, Iohan.14. verſ.30. & 16. verſ.11. & 2. Corinth.4. verſ. 4. quia, ut docet Apoſtolus Eph. 2. verſ.2. *Vita mundi hujus instituitur ſecundum principem cui poteſtas eſt aëris & ſpiritus, nunc agentis in hominibus contumacibus*. Interim manet poteſtas maritalis & patria: & majori adhuc ratione conſtitui debuit poteſtas in Magiſtratibus politica: quamvis non in eum nunc conſpiret finem, nec tantæ ſit ut quidem alias fuiſſet efficaciæ. Omnes enim quotquot ſunt, cujuſcunque ſint ſtatus & conditionis, Parentes & Liberi, Senes & juvenes, Qui regunt & qui reguntur, Magiſtratus & ſubditi, eidem malo inobædientiæ & rebellionis in Deum, natura implicati ſunt. Unde duo ingentia oriuntur incommoda.

Prius eſt; Quod cum parentes liberos ſuos, Deo ſibive immorigeros, Deo aut ſibi obædientes reddere conantur: cumque Magiſtratus ſubditos rebelles & inordinatos in ordinem redigere ſatagunt, nil niſi hominem externum (ut dici ſolet) vi cogere, id eſt, vel pœna, vel pœnæ metu, pravitatem cordibus inſidentem cohibere poſſint aliquantulum, ne factis ſe prodat extrinſecus: eam verò corrigere, ſive ex animis extirpare, contrariamque probitatem, & ſubmiſſionem, atque obædientiam voluntariam, minimèque ſimulatam, inſerere eis non valeant. Hinc orta eſt coactiva Magiſtratuum poteſtas, & qui ei inſervit,

vindictæ gladius. Quia enim pravitas humana ex corruptione adeò invaluit, ut non nisi vi validâ in multis coerceri possit, Deus, & in vindictam scelerum, & in coercitionem improborum, gladio Magistratum armavit. Non ergo in humani generis integritate, in qua pietas & justitia sponte sua nascebatur, locum habuit potestas ista quà coactiva: sed demum ex accidenti pravitatis & ferociæ humanæ introduci debuit. Nec ulterius potestas illa eâdem ex causâ, progredi potest, nisi ut, vel flagitia quævis justè puniat; vel justæ punitionis exemplis improbos à malefactis abstinere cogat. Vera enim justitia & obædientia, in qua imago Dei maximam partem sita est, defectione universali est abolita, & in contrariam pravitatem ac rebellionem immutata: cui verum & intrinsecum remedium à lege, quæ à creatione vim suam habet, cujusque obædientia à Parentibus, Senioribus, Magistratibusque urgeri debet, adferri non potest. Solius enim Christi est, in regno suo spirituali, corruptionem istam virtute verbi sui, Spiritusque regenerantis abolere, ejusque loco amorem & studium veræ virtutis, pietatis, atque obædientiæ animis humanis indere.

Alterum est, Quod, quum corruptio & nativa arrogantia, tam Regentum, quam eorum qui reguntur, animos occuparit, quæ

quæ subinde splendore eminentiæ ac potestatis, quâ subditis suis sunt venerabiles, concitatur haud parum & incenditur: facile fiat, ut, fastu & superbia turgidi, in conditione sua non acquiescant: ideoque, tum Collegas suos, cum quibus pari gaudent honore ac potestate, adoriantur & sibi subjiciant, ut tota penes illos solos resideat potestas: tum aliorum invadant ditiones & dominia, quò & illorum imperium ad se attrahant. Ex his bella infensissima, horribilesque urbium & regionum devastationes natas esse, cum immani tyrannide & oppressione, historiæ passim testantur. Primus hujus mali author post diluvium fuisse videtur Nimrodus è Chami progenie: utpote de quo S. Scriptura sic loquitur Genes. 10. vers. 8. 9. *Quod cœperit esse potens in terra, fueritque potens venator coram Iehova.* Hic ergo primus Monarchiam instituisse, imperiumque longè latèque extendisse videtur: ad cujus deinceps exemplum alii aliorum ditiones invaserint, imperiaque affectarint. Monarchias haud improbamus, quippe quibus Deo placuit populorum quorundam ferociam compescere, quibus etiam nationes quædam in ordine cohiberi, & in tranquillitate conservari melius possunt. Bella quoque & arma, etiam Christianis non interdicimus, utpote quæ legitimè, seditionum & invasionum causa, à Magistratibus sumi posse

posse novimus. Solummodo indicatum volumus authoritatem, quam Deus è dominio & potestate suâ in hominibus constituit, non semper consistere intra limites suos: sed interdum, ex arrogantiâ & regnandi libidine, in violentam tyrannidem degenerare; non potestatis, sed hominum qui eam adepti sunt vitio. In quibus tamen Deus potestatem suam, ordinemque à se constitutum, vult agnosci: adeò ut, licet arrogantes illi potestate & potentia suâ ad tyrannidem & innocentium sæpe oppressionem abutantur subditi tamen & oppressi, ex consideratione, non tantum Providentiæ divinæ omnia gubernantis; verum etiam potestatis in illis, quamdiu illo potiuntur imperio, relucentis, modestè se illis ac patienter submittere debeant, Meritò igitur repudiamus non tantum, sed ex animo etiam detestamur, nefandum Pontificiorum facinus, quo Principes & Reges, Pontificum Romanorum placitis non satis obtemperantes, tyrannorum & in Ecclesiam rebellium nomine, quà vi, quà fraude, vel bello si possent, vel alias per sicarios è medio tollere ausi fuere: & præsertim Iesuitarum, qui tam horrendum scelus, & laudare, & juventutis animis inculcare, non sunt veriti.

Duo igitur in regnis Regibusque & Principibus mundi hujus consideranda dicimus. 1. Ordinarium quid & perpetuum,

Pote-

Potestatem vid: & Dominium ex Dei constitutione in subditos suos, ut scil: debitè eos regant, & vel in ordine contineant, vel in ordinem cogant, quò vitam possint vivere tranquillam in pietate & honestate. 2. Extraordinarium quid, & per temporum vices mutabile, quippe quod eis non nisi possessorum, vel eorum qui potestate potiuntur, vitio accidit: vid: abusum rigidæ nimium dominationis, vel illegitimæ extensionis potestatis suæ atque imperii in populos & terras alienas, qui ex solâ humani cordis arrogantiâ ac fastu oritur. Prius ex Deo oriri novimus, quapropter & illud in omnibus Principibus & Monarchis, etiam illis qui suâ potestate abutuntur, consideramus & considerandum docemus. Sicut & Apostolus eâ de causa etiam talibus obædiendum esse docuit ad Rom.cap.13. Posterius ex humanâ corruptione promanare novimus: attamen Deo id permittente, quò flagitia hominum tremendo suo judicio justè puniat.

Cap. III.

De Potestate Ecclesiasticâ, ejusque origine & naturâ.

DIximus, in regno Dei universali, quod Regnum potentiæ dicitur, totum genus

nus humanum, sive omnes omnino homines, quales è defectione universali à natura sunt, quamvis potentiæ & providentiæ divinæ subtrahere se non possint; prout tamen Deus cum illis specialiter agit ut cum ratione præditis, præscribendo eis legem suam, obædire Deo non velle; & per vim legis, quantumvis acriter inculcatæ, licet ad externam aliquam honestatem cogantur, ad veram intrinsecam obædientiam flecti non posse: sed omnes se totos pravis suis affectibus, peccato, diabolicisque fascinationibus & seductionibus dedere, unde & Diabolus Princeps & Deus illorum dicitur. Hac quidem de causa morti omnes & maledictioni sunt obnoxii: quare Deus, non obstante universali illa defectione & inobædientia, duplici modo gloriam suam hîc adserit: tum omnes potenti suâ manu constrictos tenens, ut sine voluntate ejus ne minimum quidem attentare valeant: tum omnes justo suo judicio obnoxios habens, in quo justitiam suam variis modis exerit, & suo tempore in omnes impœnitentes & incredulos potentissimè & manifestissimè exeret: Attamen noluit, pro immensa sua misericordia & gratia incomprehensibili, omnes in universum sub morte & maledictione perire: quare, ad demonstrationem gloriæ gratiæ ipsius, placuit ipsi in illo regno tenebrarum & diaboli regnum aliquid speciale

ciale justitiæ & lucis erigere, quo impietatis illud & rebellionis regnum vi magna destrueret & aboleret. Hoc illud est regnum quod peculiariter in Scripturis *Regnum Dei*, & *Regnum Cœlorum* appellatur. Regnum Dei specialiter, ut oppositum regno Diaboli: Regnum cœlorum, quia ut hic inchoatur, & variis afflictionibus atque oppressionibus ac imperfectionibus laborat; ita in cælis demum perficietur, completèque in illud effundentur ineffabilia quæ Deus illi assignavit beneficia. Consistit enim in salutari cum Deo communione, quæ in hominibus, vitam hanc in terris caducam viventibus, inchoatur fide, & veræ obædientiæ studio, sub certa spe salutis æternæ; & post hanc vitam complebitur in beatissima immortalitate & sanctitate perfectissima. Quare regnum hoc, prout ex hominibus constat, idem illud est quod Ecclesiam Dei appellamus, sub se complectentem cætum, collectionem, multitudinem eorum, qui è mundo, sive ex universali defectione, divina gratia evocantur & transferuntur ad communionem gloriosæ Dei gratiæ, in illa communione sese exercentes in assiduo fidei & pietatis exercitio, eamque sincerè & fideliter coram mundo hoc perverso profitentes. Unde Paulus ubertimam, tum gratiarum actionis coram Deo, tum consolationis fidelium, admonitionisque ad constantiam in fide, mate-

riam desumsit, cum dixit Coll. 1. v. 12. 13. 14. *Gratias agentes Patri, qui idoneos nos fecit ad participandam sortem sanctorum in luce: qui liberavit nos à potestate tenebrarum, & transtulit in regnum filii sui dilecti, in quo habemus redemtionem per sanguinem ipsius, remissionem peccatorum.* Et vers. 21. 22. 23. *Itaque vos quondam abalienatos & hostes mente, in operibus malis, nunc reconciliavit in corpore illo carnis suæ per mortẽ, ut sisteret vos sanctos, & irreprehensos, & inculpatos coram se: siquidem permanetis in fide fundati, nec dimovemini à spe Euangelii quod audistis.*

De hoc regno loquitur Christus, idque peculiari ratione regnum suum appellat, quando Pilato, interroganti *num Rex esset,* respondit, Ioh. 16. vers. 36. *Regnum suum non esse de hoc mundo*, idque ratione evidenti demonstravit. Est quidem regnum Dei Patris, Filii, & Spiritns sancti. Pater enim illud constituit in Filio per Spiritum. Pater elegit illud ab æterno, & separat sibi in tempore: filius redemit illud, acquisivitque suo sanguine: Spiritus illud sanctificat sua efficaci gratia. Hinc est quod ei applicatur *Charitas Dei Patris, Gratia Domini nostri Iesu Christi, & Communio sancti Spiritus* 2. Corinth. 13. vers. 13. Filius tamen Dei Patris, ut suo tempore carnem assumturus, & tandem in carne manifestatus, Mediator Dei & hominum, speciali ratione

ne

ne in Regem regni hujus ordinatus est & constitutus Psal.2. vers.6. Psal. 72. vers. 1. Iesa.9. vers.5.6. Ierem.23.vers.5.6.&c. Sunt quidem & regna mundi hujus in universali regno Dei constituta, de quibus cap.prę-cedenti actum est, regna Filii Dei, Potentiæ ipsius, Dominio, potestati, efficacique gubernationi obnoxia, prout verus & æternus cum Deo Patre Deus est; quam ob causam ut substantialis Dei Patris sapientia loquens introducitur Prover. 8. vers. 15. 16. *Per me reges regnant, & principes decernunt justitiam: per me principes dominantur, & omnes judices terræ*. Hoc autem regnum peculiariter ipsius est regnum, in quantum, ut Mediator & Servator electorum atque fidelium. 1. Illud *sibi acquisivit, non auro nec argento, aut rebus corruptibilibus; sed pretioso suo sanguine,* Act.20. vers.28. Eph. 5. vers.23.25. & 1.Pet.1. vers.18,19. quod & redemti ipsius, sive subditi spiritualis istius regni, debita cum gratitudine agnoscunt & confitentur in cantico suo gratulatorio. Apoc.5. vers.9. 10. *Tu mactatus es, & redemisti nos Deo per sanguinem tuum, ex omni tribu, & linguâ, & populo, & natione, & fecisti nos Deo nostro reges & sacerdotes.* 2. Illud peculiari ratione excitat & erigit, ac per totum mundum propagat virtute verbi & spiritus sui: quo fine & ipse specialiter ministros suos in mundum misit, & etiamnum Ecclesiis suis variis in locis præ-

ficit,

præficit. 3. Speciali ratione cuſtodit, & in æternæ beatitudinis fruitionem tranſmittet.

Mira eſt Dei potentia & efficacia in conſtituendo & propagando regno hoc ſuo Speciali. Spiritum enim ſuum immittit in ipſa hominum corda, qui interiora eorum penetrat, eaque efficaciter innovat & immutat, ut cum à ſe, natura ſuâ, immorigera Deo ſint, rebellia, & obſtrepera, ex innovante iſta gratia, morigera ſe Deo, & in omnibus obſequentia libere libenterque exhibeant. Attamen quia hîc cum hominibus Deo eſt negotium, humano etiam modo hîc agit, medio utens naturæ humanæ quam convenientiſſimo. Sicut enim ipſi homines, ut ratione præditi, alij aliis conceptus ſuos ſermone enunciativo indicant: ita & Deus, ut eos è regno illo Satanæ ad regnum hoc communionis & gratiæ ſuæ vocet, alliciat, adducat, verbo ſuo illos compellat, mentemque & voluntatem ſuam benignè eis ſignificat. Verbum hoc non ſolum verbum eſt legis, quod in regno præcedenti univerſali aliquatenus illos coërcet, & ad civilem aliquam honeſtatem, cultumque religionis cujuſdam externum cogit, è quo poteſtas coactiva promanavit: verum & verbum, ac præcipuè quidem, verbum Euangelij, quo peccatoribus omnibus contritis, afflictis, liberationem è tanto malo expetentibus, oſtenditur

ditur & promittitur eminentissimum & certissimum remedium reconciliationis suæ cū Deo per fidem in Christo mediatore. Hoc verbo, ut divinæ potentiæ organo, ingeneratur animis hominum, Spir. S. in eos operante, vera & salvifica fides, quâ Christum mediatorem, in verbo illo Euangelii exhibitum, amplectentes, summi illius beneficii per illum participes redduntur. Quare & ab Apostolo Rom. 1. vers. 16. *Potentia Dei dicitur ad salutem cuivis credenti.* Communio cum Christo, ut Rege regni istius specialis, & in Christo, atque per Christum, cum Deo, solâ fit fide, qua quis promissiones Euangelicas, sive Iesum Christum in Euangelio manifestatum & exhibitum, cum omnibus illius beneficiis amplectitur. Lex, & opera legis, ad communionem hanc nihil præstare possunt, nisi quod illorum consideratio hominem arguat, convincat, conterat, affligat, subigat, & ad Christum mediatorem confugere cogat. Quare & verbo quidem Legis Deus hîc utitur, ut omnes omnino homines doceat esse peccatores, iræque suæ & morti obnoxios, nullumque iis restare evadendi remedium nisi in mediatore, & per mediatorem in Euangelio exhibitum. Sed Euangelii verbum, cum promissionem gratiæ, mediatoremque, & salutaria ipsius beneficia solum in se contineat, solum est medium fidei, communionisque cum Deo

gratuitæ

gratuitæ per fidem. Hac de cauſa verbum hoc Euangelii *verbum reconciliationis* nominatur. 2. Corinth. 5. v. 19. ejuſque miniſterium, *miniſterium ſpiritus & juſtitiæ.* 2. Corinth. 3. verſ. 8. 9. Sic etiam verba hoc Euangelio comprehenſa, *Spiritus & Vita, & verba Vitæ æternæ* dicuntur. 2. Corinth. 3. verſ. 6. & Ioh. 6. v. 63. 68. *Lex enim occidit.* 2. Corinth. 3. v. 6. arguit ſcilicet peccatum & mortem cui mortales omnes ſunt obnoxii, quia per *illam eſt agnitio peccati,* Rom. 3. v. 20. unde & *iram operari* dicitur. Rom. 4. v. 15. Euangelium autem reconciliationem adfert cum juſtitia & vita per Spiritum ſanctum.

Verbum hoc Euangelii ipſe filius Dei, qui peculiariter regni iſtius ſpecialis Rex eſt, ſæpenumero hominibus annunciavit, quippe qui non tantum regis, ſed & ſummi in hoc ſuo regno Prophetæ & Doctoris munus obit; ſæpiſſimèque ſe inter Deum Patrem & homines miſeros internuncium præſtitit. Unde, cum ipſe verus ſit cum Deo Patre Iehovah, aliquoties, non Iehovæ tantum, ſed & Angeli Iehovæ nomine in S. Literis indigitatur. Gen. 16. verſ. 9. 10. Gen. 18. per totum. Item 22. v. 11. 15. 16. & 31. v. 11. 13. & 32. v. 27. 28. 29. 30. Exod. 3. v. 2. 4. 6. 7. & 13. v. 21. 22. collato cum 14. v. 19. 21. item Exod. 23. v. 20. 21. & Malach. 3. verſ. 1. Qui & ipſe tandem *in plenitudine temporis factus è muliere, factus ſub lege,* Gal. 4. v. 4.

Deus

Deus in carne manifestatus. 1. Tim. 3. v. 16. in humana sua carne Euangelium in populo suo Iudaico, tempore à Patre ipsi constituto, annunciavit. Verum quum nec ipse semper in visionibus alloqui suos vellet, quippe quod humana non ferret infirmitas: nec ipsum deceret perpetuò in terris inter homines morari, quandoquidem alia longè gloria ipsum maneret in cælis: à se suo nomine misit, & informationi humanæ, ac patefactioni gratiosæ istius voluntatis suæ, adhibuit in Testamento Vet. Patriarchas & Prophetas, quos & eo fine Spiritu suo instruxit, & in quibus atque per quos Spiritu suo hominibus locutus fuit. 1. Pet. 1. v. 11. & 3. vers. 18. 19. In novo autem, cum opus sibi à Patre injunctum peregisset, è mundo ad Patrem abiturus, Apostolos suos, aliosque viros insignes è discipulis suis, ad hoc peculiariter donis Spiritus sancti ditatos, per totum misit terrarum orbem, annunciaturos verbū illud ipsum Evangelii, regnumque ipsi in omnibus populis ac nationibus paraturos. Dixit enim eis Matth. 28. v. 18. 19. 20. *Mihi data est omnis potestas in cælo & in terrâ: Profecti ergo docete omnes gentes, baptisantes eos in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti, docentes eos servare omnia quæ mandavi vobis*. Et Marc. 16. v. 15. 16. *Profecti in mundum universum, prædicate Euangelium omni creaturæ: qui crediderit, & baptizatus fuerit, servabitur;*

qui

qui verò non crediderit condemnabitur. Et Lucæ 24. v. 47. 48. 49. *Oportet prædicari in nomine Chriſti reſipiſcentiam ac remiſſionem peccatorum apud omnes gentes, incipendo à Ieruſalem. Vos autem eſtis teſtes horum: Et ego mittam promiſſum Patris mei ſuper vos.* Hi authoritatis ejuſdem virtute, è qua in extraordinarios Chriſti miniſtros, ad Euangelium quaquaverſum per totum terrarum orbem prædicandum, ſelecti erant, juxta ſe, & à ſe, ordinarios in Eccleſiis, prædicatione Euangelica congregatis, prævia earum electione, conſtituerunt: ut videre eſt Act. 14. v. 23. 1. Tim. 4. v. 14. & 5. v. 22. Tit. 1. v. 5. 6. E Chriſti igitur, ut Regis iſtius regni ſpiritualis, poteſtate profluxit munus hoc annunciandi Euangelii: & in novo quidem Teſtamento ſpeciali ratione, ut in ſublimem gloriam ad dextram Dei Patris evecti, ac juxta ſapientem ac gratuitam Dei diſpenſationem, etiam in gentibus ab ipſo prorſus alienis regnum ſuum verbi & Spiritus ſui virtute conſtituentis. Quod disertè & eleganter Apoſtolus docet Eph. 4. verſ. 7. 8. 11. 12. 13. &c. *Vnicuique noſtrum data eſt gratia pro menſura doni Chriſti. Quapropter dicit, Quum aſcendiſſet in ſublime captivam duxit captivitatem, & dedit dona hominibus. Dedit igitur ipſe alios quidem Apoſtolos, alios verò Prophetas, alios autem Euangeliſtas, alios autem Paſtores & Doctores, ad coagmentationem ſanctorum, ad opus miniſterii,*

nisterii, ad ædificationem corporis Christi, donec evadamus omnes in unitatem fidei & agnitionis filii Dei, &c.

Ex hac igitur potestate & authoritate Iesu Christi Filii Dei, ut Regis illius spiritualis, derivanda est ea de qua hîc agimus Ecclesiastica potestas; in illa considerandum ipsius fundamentum; & ex ea de ejus indole ac natura judicandum: sicut in potestate Dei, ut regis universi generis humani in regno potentiæ, constitutum fuit fundamentum illius potestatis quæ dici solet Potestas Politica. Nam ipse, ut tali à Patre potestate instructus, ministros illos suos, à se, suo nomine misit. Quare *legatione sua fungi dicuntur nomine Christi*. 2. Corinth. 5. v. 20. jubenturque omnes pro talibus illos agnoscere, dicente Apostolo. 1. Corinth. 4. vers. 1. *Sic nos reputet homo* (sc. quivis) *ut ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei*. Unde & illos insigni authoritate Christus munivit, qua fidem illis apud homines faciat, & ministerium illorum venerabile illis reddat & suspiciendum; quando illis dixit Luc. 10. v. 16. *Qui vos audit me audit: qui vos rejicit me rejicit: qui autem me rejicit, rejicit eum qui misit me.* Et Ioh. 20. vers. 23. *Quorumcunque remiseritis peccata remittuntur iis: quorumcunque retinueritis retenta sunt.* Et iterũ Petro quidem nominatim, sed reverà omnibus, quia omnium nomine Christum Petrus confessus erat,

Matth. 16.

Matth. 16. v. 19. *Dabo tibi claves regni cœlorum: Quicquid ligaveris in terrâ erit ligatum in cœlis. & quicquid solveris in terrâ erit solutum in cœlis*. Deinde & toti Ecclesiæ, sive ejus præfectis & rectoribus. Matth. 18. v. 18. *Amen dico vobis: quæcunque ligaveritis in terra, ligata erunt in cœlo: & quæcunque solveritis in terrâ, soluta erunt in cœlo.* Quæ tamen omnia non sic accipienda sunt, ac si ipsis pro arbitrio liceret agere quicquid vellent, solvereque & ligare quicquid placitum ipsis esset. Ministri sunt Christi, in regno ipsius sub ipso ipsius potestate ordinati, non Domini. Quare & ipsi, ut Domino & Regi suo, fidem suam approbare, rationemque ministerij sui reddere tenentur. Hinc est quod Apostolus, cum suam suorumque cooperariorum in ministerio hoc authoritatem asseruisset. 1. Corinth. 4. v. 1. addat v. 2. 3. 4. *Hoc autem superest, requiritur in dispensatoribus ut fidus quisque reperiatur. Mihi verò pro minimo est quod à vobis judicer, aut ab humano judicio: Dominus est qui me judicat*. Et rursum, cum eorum legitimam potestatem in Ecclesia fidelibus commendasset, diserte dicat, *vigilandum ipsis esse pro animabus fidelium, ut qui rationem sint reddituri*. Heb. 13. vers. 17. Si ergo sua illa potestate utuntur legitimè, munusque à Christo ipsis demandatum obeunt fideliter, verbumque ipsius pure, sine admixtio-

ne

ne humanarum vanitatum, annunciant, pro fidelibus & sinceris Christi ministris habendi, illaque ipsorum authoritas nomine Christi in illis est agnoscenda: secus ut plani & impostores rejiciendi. Nam sicut in illis Christus, cum veritate & potestate ejus, agnoscitur ac recipitur: ita in his mendacium, & diabolus mendaciorum pater, contemnitur ac repudiatur, ut Christi veritas integra & inviolata in nobis maneat.

Verbo Euangelii annunciant ministri resipiscentibus, & in Christum mediatorem credentibus, peccatorum remissionem & salutem. Resipiscentiæ autem & fidei repugnat impænitentia & incredulitas. Itaque ex eodem verbo denunciant iis qui non resipiscunt & credunt iram Dei & condemnationem. Atque hoc est quod Christus dicit peccata remittere & retinere. Verbo addita sunt sigilla, quæ in Ecclesia Dei Sacramenta appellari solent, servientia confirmandæ infidelium fidei: utpote eo fine a Deo instituta ut istis qui legitimè iis utuntur promissio divinæ gratiæ, non tantum clarius explicetur, verum etiam confirmetur & obsignetur: quorum alterum Baptismus est, alterum Cæna Domini. Adulti, quibus solis cæna Domini instituta est, nisi prævia confessione fidei orthodoxæ, & inculpatæ vitæ testimonio, ad eam non admittuntur. Si qui admissi, vel a

confessio-

confessione illa deficiunt, vel vitæ probitate ei non respondent, si moniti ad frugem meliorem non redeant, ab ejus communione, legitimo ordine, arceri debent, & arcentur, juxta Christi præscriptum. Matth. 18. v. 17. ab Apostolis observatum, & Ecclesiis commendatum. 1. Corinth. 5. vers. 3. 4. 5. & v. 11. 12. 13. Gal. 5. vers. 12. & 2. Thess. 3. v. 14. Hæc est illa, de qua apud Theologos, & passim in Ecclesia, crebra fit mentio, disciplina Ecclesiastica, quæ cum Euangelica prædicatione comprehenditur clavibus regni cælorum, Ecclesiæ, ejusque Pastoribus & Rectoribus, à Christo traditis & commissis. Ut omnia hæc debitè administrentur, oportet ut Pastores & Inspectores Ecclesiarum cognoscant & judicent de doctrinæ quam Ecclesiis suis tradere debeant veritate, deque fide & pietate fidelium ipsis commissorum, quantum ex confessione & conversatione externa colligi & observari potest. Quo fine requiritur ut conventus ab illis majores minoresve, pro rei gravitate ac necessitate, habeantur; in quibus de negotiis istiusmodi Ecclesiasticis, quà communibus, quà singularibus, è veritate & charitate judicent. In hisce omnibus consistit ea de qua nobis hîc sermo est Potestas Ecclesiastica.

Potestatem hanc Theologi orthodoxi plerumque triplicem faciunt, quarum prima sit *ministerii*: altera *Iurisdictionis* sive *Disci-*

Disciplinæ: tertia *Ordinis*. Ministerii potestas est Authoritas & jus docendi in Ecclesia, non quidvis, sed id unum quod Dominus verbo suo præscripsit: doctrinamque illam auditoribus applicandi, sive ad confirmationem in confessione fidei, sive ad consolationem, sive ad pietatis promotionem & morum correctionem: & Sacramenta juxta institutionem Christi administrandi. Atque hæc est pars Clavium prior. Dicitur *Ministerium*, quia non nisi Christi ministri sunt quibus, ut Doctoribus, Pastoribus, Inspectoribus, cura Ecclesiarum demandata est, ut patet ex supra allegatis. Quare & Apostolus dicit 1. Corinth. 3. v. 5. *Quis est Paulus? & quis est Apollos? nisi ministri per quos credidistis.* Quin nec Domini Ecclesiarum sunt, aut ullam in eas potestatem arbitrariam arrogare sibi debent, quippe quod eis disertè vetatur à Petro dicente. 1. Epist. 5. v. 3. *Non ut dominantes cleris, sed ut qui sitis exemplaria gregis*. Quare & ipse Paulus dominium sibi in fideles, aut in fidem eorum, denegat. 2. Corinth. 1. vers. 24. *Non quod dominemur fidei vestræ, sed quod administri simus gaudii vestri*. Licet ergo jus hoc concessum à Christo Pastoribus & Doctoribus Ecclesiarum, dicatur Potestas & Authoritas, potestas tamen est planè ministerialis. Potestas altera dicitur *Disciplinæ* & *Iurisdictionis*: Estque pædagogia Ecclesiastica à Christo instituta, ut qui in familiam,

liam, sive in Ecclesiam & Regnum ejus spirituale recepti sunt, ad pietatem dirigantur, & in officio contineantur, nequid Christiana professione indignum committant. Vocatur potestas jurisdictionis. Nam Pastores ea utentes quasi jus dicunt, cum eos quos è confessione & conversatione dignos censent communione Ecclesiæ, ad eam admittunt: Peccantes verò & *ἀτάκτους*, reprehensionem & correctionem spernentes, ab ea removent. Estque hæc pars Clavium posterior. Potestas tertia dicitur *Ordinis*, utpote qua omnia ordinatè constituuntur in Ecclesia, ne qua in ea circa ministerium aut cultum divinum confusio oriatur. Nam sicut ea curatur nequid in Ecclesia doceatur heterodoxum, aut à verbo Dei & sana confessione alienum (quo fine etiam in Synodis aut Ecclesiasticis conventibus de doctrina Ecclesiæ judicatur) ita & hoc operam datur ut, quoad circumstantias & ceremonias adiaphoras, debitè, honestè, & convenienti ordine omnia disponantur: juxta Apostoli monitum. 1. Corinth. 14. vers. 40. Ut omnia decenter & ordinatè in Ecclesia fiant. Huc etiam pertinet Ministros idoneos, Ecclesiarumque Inspectores & Rectores eligere, vocare, & ordinare, ut ex præcedentibus satis esse potest manifestum, & in sequentibus latius docebitur.

Pontificii triplicem quoque constituunt Potestatem Ecclesiasticam, sed ab ea quam nos

nos hîc tradimus longè diversam: Primam *Ordinis*: alteram *Iurisdictionis interioris*: tertiam *Iurisdictionis exterioris*. *Prima* (inquiunt) *refertur ad Sacramenta conficienda & ministranda. Secunda ad regendum populum Christianum in foro conscientiæ. Tertia ad eundem populum regendum in foro exteriori.* Quod sic explicant. *Ad potestatem Ordinis spectat, Baptismum & sacros ordines conferre, Eucharistiam conficere & ministrare, Chrisma & oleum infirmorum benedicere.* Vid. Becan. in præf. libelli de primatu Regis Angliæ. Sic scil: loquuntur pro opinione suâ de Transsubstantiatione panis orbicularis in Missa, deque consecratione sacramentorum, cujus virtute gratiam conferunt ex opere operato; ut etiam de confictis illorum sacramentis, *Ordinis* sc: quo consecrantur Sacerdotes, Diacôni, & similes; *Chrismatis* quo illinuntur & signantur qui post baptismum confirmantur ab Episcopis; & *extremæ unctionis* qua unguntur moribundi. Sunt ergo illa accommodata ineptis illorum & ludicris superstitionibus, & superstitiosis ac idololatricis ritibus. *Ad potestaeem jurisdictionis interioris pertinere* dicunt, *Ius dicere in foro conscientiæ, id est, absolvere vel ligare:* Absolvere scilicet, si quis, statuta Ecclesiæ Pontificiæ observans, peccata sua Confessario suo, vel Sacerdoti, ad id à se delecto, confessus fuerit & absolutionem petierit;

ligare verò si quid excommunicatione dignum commiserit, præcipuè si Ecclesiæ Romanæ, ejusque constitutionibus, firmiter non adhæserit. Hac potestate Ecclesia Pontificia conscientias omnium sibi obstringit, utpote quâ sibi adscribit eas vel ligare vel solvere prout ipsi visum fuerit, & quidem authoritate absoluta, & extra omne erroris periculum posita. *Ad potestatem Jurisdictionis exterioris* referunt, *Synodum convocare, & in eâ præsidere, constitutiones condere, causas audire & cognoscere, controversias dirimere, beneficia conferre, ministros Ecclesiæ constituere, delinquentes excommuoicare: uno verbo, omnium causarum & controversiarum, quæ ad fidem & religionem pertinent, judicem agere.* Et hæc potestas, etiam vel maximè, imperium sibi sumit in animas & conscientias hominum, easque sibi absolutè subjicit in omnibus. Nam quod illa jubet in Conciliis vel Synodis definiri, quas illa vult constitutiones condi, quos illa excommunicat mandatq; excommunicari, & hoc quidem ob causas quas ipsa prætendit, scil: obedientiæ non submissè satis & alacriter Ecclesiæ Romanæ exhibitæ, illud ratum, istas firmas statasque, hos excommunicatos esse & haberi jubet ac præcipit: Uno verbo, Iudicium suum super causis & controversiis omnibus, quodcunque & qualecunque demum sit, vult esse summum & absolutum, adeoque

que ἀνυπεύθυνον, quod nullius disquisitioni obnoxium sit, aut esse possit, ita ut ne quidem ad normam verbi divini examinare illud liceat, utpote quod ipsum pro ipsissimo Dei verbo haberi, cæcaque fide & obedientia credi & observari debeat. Ast ubi hic potestas prædicandi Euangelii, seu verbi divini? Nusquam comparet: altum illic de ea silentium. Scilicet obturatum est illic os Euangelio, ut proloqui ei non concedatur. Omnia illic in opere operato (ut barbarè loquuntur) in ridiculis & ineptis ceremoniis, & in stabilienda fictitia, præter omne fas usurpata, arroganti, & Antichristiana authoritate stabilienda, posita sunt. Illa ubi sarta tecta manet, cum Idololatria sua & superstitioso cultu, ac hypocritica quadam specie invocationis nominis Christi, cui ingentem sánctorum, (quos vocant) numerum adjunxere, Euangelii purè docendi, animas ad Christum, ut verum illarum pastorem, adducendi, ministerio Sacramentorum confirmandi, vera pietate imbuendi, in rectam viam dirigendi, & spe certa salutis æternæ alendi & refocillandi, nulla illic cura est, sollicitudo nulla. Ergo ministerialis illa, mansueta, humilis, paterna & fraterna, nec minus seria & salutaris, quam Christus ministris suis in sua Ecclesia tradidit potestas, in arrogantem, absolutam, & merè tyrannicam potestatem abiit. Verum penes

quos est omnis illa potestas? An penes eosdem ad quos pertinet potestas Ordinis, sc: Baptismum & sacros ordines conferre, Eucharistiam conficere & ministrare, &c. & ad quos pertinet potestas Iurisdictionis interioris, vid. jus dicere in foro conscientiæ, id est, absolvere & ligare: an (inquam) ad eosdem ad quos utraque illa potestas pertinet, etiam pertinet potestas Iurisdictionis exterioris, ut Synodum convocare, & in ea præsidere, constitutiones condere, causas audire & cognoscere, controversias dirimere, beneficia conferre, ministros Ecclesiæ constituere, delinquentes excommunicare, omniumve causarum & controversiarum, quæ ad fidem & religionem pertinent, Iudicem agere? Duplex illa prior potestas ad omnes Ecclesiasticos & Sacrificulos perrinet: ergo & hæc postrema ad omnes illos pertineret. Sed hanc postremam, saltem maximam partem, soli suo Pontifici adscribunt, ut Capiti Ecclesiæ visibili. Cur ergo hìc non agunt distinctius? ut primum distinguant inter Potestatem Ecclesiasticam supremam, & subordinatam? Totam enim controversiam de subordinatione potestatis Civilis & Ecclesiasticæ versari dicunt circa potestatē hanc jurisdictionis exterioris; An Rex sit supremus Iudex Ecclesiasticus, &c. Quod observatione dignum, & sequentibus lucem ad feret.

CAP.

Cap. IV.

Exhibens convenientiam & discrimen inter utramque potestatem.

EX iis quæ hactenus de utraque potestate dicta sunt, facile est colligere quid inter utramque intersit. Conveniunt quidem in eo quod utraque à Deo sit: Attamen in eo discrepant quod Civilis à Deo sit ut Creatore & Conservatore, ac proinde ut Domino universali totius humani generis, in regno suo quod dicitur potentiæ: Ecclesiastica verò ut à salutis authore, ac proinde ut Domino speciali fidelium redemtorum in regno gratiæ: Et quia Iesus Christus Dei Filius peculiari ratione Regni istius Rex est, ab illo ut Ecclesiæ suæ rege spirituali. Quod peculiariter in Ecclesia Novi Testamenti venit observandum. Quamvis enim Ecclesia etiam Vet. Testamenti Filio Dei, ***qui heri, & hodie, idem est & in secula***. Heb.13. vers.8. subdita fuerit, ut Redemtori & Regi suo: quia tamen Filius Dei in carne manifestatus, peracto redemtionis nostræ negotio, ad dexteram Patris sui in cælis considens, Ecclesiam suam evidenti potentia ex omni tribu ac natione collegit, & deinceps colligit, atque adversus omnes diaboli fraudes, machinationes, atque insultus defendit, hinc est

quod Ecclesia istius temporis, quæ Ecclesia Novi Test. dicitur, singulari ratione regnum Dei & Iesu Christi dicatur. Hoc est enim regnum illud de quo tam magnificè vaticinati fuerunt Prophetæ, & quod fideles illius temporis tanto exoptarunt desiderio. Quare & ipse Dei filius, prædicationem suam Euangelicam auspicans, dixit *appropinquare regnum cœlorum*; ideoque *resipiscendum esse & credendum Euangelio*. Ex hac potestate regia Christi in regno hoc spirituali potestatem Ecclesiasticam ortam esse, sicut ex potestate Dei universali orta fuit potestas civilis, ex iis quæ ante dicta sunt luce meridiana clarius evadit. Unde fit manifestissimum, quod Magistratus, formaliter sic dictus, ratione officii sui ac potestatis, dici nullo modo possit membrum Ecclesiæ: sicut & vice versa Minister, aut Pastor Ecclesiæ, quâ talis, dici non potest membrum Republicæ. Est quidem Magistratus fidelis membrum Ecclesiæ: verum non quà Magistratus, sed materialiter consideratus, ut homo fidelis qui Magistratu fungitur. Sicut etiam è parte altera, Pastor, Minister Ecclesiæ, membrum est reipublicæ materialiter sumtus, quà sc: civis, qui ministerio Ecclesiæ est adhibitus.

Conveniunt quoque in eo quidem quod utraque potestas promovendo hominis bono, temporali non tantum, sed & æterno, à Deo data sit. Verum in eo discrepant,

pant, quod, cum Politica solum versetur circa legis obedientiam urgendam & promovendam, lex autem homini peccatori salutem conferre non possit; ab illâ bonum spirituale & æternum in homines, utpote peccatores, dimanare non queat: sed à solâ potestate Ecclesiasticâ, utpote quæ administrat prædicationem Euangelicam, ut solum fidei & salutis conferendæ organum à Deo institutum: ac proinde sola clavibus utitur regno cœlorum aperiendo idoneis. Deinde & illa ipsa Potestas politica ad sinceram legi divinæ obædientiam præstandam animos humanos flectere nequit, *legi enim hoc est impossibile, quandoquidem per carnem infirmata est:* Rom. 8. vers. 3. quare nil potest nisi externum hominem ad civilem aliquam cogere honestatem. Potestas autem Ecclesiastica sola est cujus ministerio, ut Deus efficaciter fidem operatur, ita & suorum animos ad veram & filialem sibi præstandam permovet obædientiam. Sicut enim hæc potestas exactione & comminatione legis corda hominum ferit & subigit, ut ad recipiendam Christi gratiam præparentur: ita & eadem, Christi gratiam fide recipientia, suum è lege docet gratitudinis officium; ut quod vi legis præstare non poterant, id gratia Christi renati & confirmati seriò & fideliter præstent, Quare Potestas illa politica cum bonum subditorum spirituale &

æternum promovere per se non possit, solum temporale bonum per se promovet; legibus politicis, & vi corporali, externam tranquillitatem inter subditos constituendo & stabiliendo, unde bonum illud temporale promanat. Si quid verò ad promotionem boni illius spiritualis collatura sit (in quod & præcipuè incumbere illam oportet) id non potest, nisi Ecclesiasticam hanc potestatem intra ditiones suas admittendo, eamque ibi stabiliendo & defendendo; ut per illam bonum hoc subditorum effici & promoveri cum gaudio & delectatione videat, & authoritate sua quantum potest promoveri curet. Potestas verò Ecclesiastica, quia primò, propriè, per se, circa bonum spirituale versatur, bonum temporale directè procurandum & promovendum sibi non sumit. Tantummodò enim in Magistratibus & subditis promovere conatur pietatem: illos docet justitiam & clementiam, hos submissionem & obedientiam, ambos mutuum inter se amorem: omnibusque & singulis commendat pacem & concordiam, & sic eam, quam Magistratus sua authoritate & vi coactiva stabilit, & vel ipsos refractarios servare cogit, tranquillitatem, ipsa etiam suo efficit & confirmat, gratamque reddit ministerio.

Munus ergo Magistratus in Republica non est munus Ecclesiasticum: sicut nec munus Pastoris in Ecclesia munus est Politicum,

liticum. Quare nec Usiæ Regi suffimentum offerre licet in Sanctuario 2. Paral. 26. vers. 18. Nec Petro Magistrum suum Iesum defendere gladio. Matth. 26. vers. 52. Arma Magistratus corporalia, ferrea sunt; hominem externum cogentia; sicut & gladius est quo Deus illum armavit in bonorum defensionem & malorum vindictam. Rom. 13. vers. 4. Ministri autem Christi arma planè sunt spiritualia, cor ipsum afficientia, & captivum illud ducentia ad obediendum Christo. 2. Corinth. 10. v. 4. 5. Unde & Magistratus ad obediendum cogere potest cogitque refractarium: Minister verò Christi non nisi voluntariam & liberam urget obedientiam.

Magistratus pro subditis suis habet omnes civitatis aut ditionis suæ incolas, cujuscunque sint religionis: sicut & omnes ditionis illius incolæ eum qui illi præfectus est pro Magistratu suo agnoscere & revereri tenentur, sive veram religionem profiteatur sive non. Pastor autem Ecclesiæ nullos pro ovibus fidei suæ commissis agnoscit præter eos qui nomina sua ultro & liberè Ecclesiæ dederunt: unde & de aliis nullis potestate suâ Ecclesiasticâ judicat: prout & Apostolus æquum esse pronunciat 1. Corinth. 5. p. 12. *Quid mea interest etiam de extraneo judicare? Nonne de iis qui intus sunt vos judicatis?* Dat quidem operam ut & alios qui extra sunt introducat, &

Christo morrigeros reddat: attamen de nullis aliis curam sibi tribuit Pastoralē, nisi de membris illius Ecclesiæ cui ipse legitimâ vocatione est præpositus. Sicut & è contrario istius Ecclesiæ membra pro Pastore suo non agnoscunt, nisi qui ex vocatione legitimâ Christi verbum pure & fideliter illis annunciat. Hinc fit quod fideles quidem, sive fidelium Ecclesia, eum qui, vel illegitimè per vim sese ingerit, vel verbum Dei suis figmentis corrumpit, negare possit pro Pastore suo agnoscere, aut legitimo modo atque ordine ex ovili Christi ejicere. *Nam qui non ingreditur per ostium in caulam ovium, sed ascendit aliunde, fur est & latro: Et oves alienum nequaquam sequentur, sed fugient ab eo, quia non norunt vocem ejus*, inquit ipse ovium Pastor summus. Ioh. 10. v. 1. 5. At non licet subditis Magistratum suum, cujuscunque sit religionis, de solio suo deturbare. Quapropter immanis est truculentiæ, & perduellionis diabolicæ, atque perfidiæ execrandæ, quod inter Pontificios inveniantur qui, ex instinctu Iesuitarum, & similium, approbante, & frigidam suffundente Romano Pontifice, Reges & Principes summos, eam sc: ob causam quod, vel Pontificiam religionem deseruerint, vel eam non satis promoveant, imo vel non satis ad nutum Pontificis omnia agant, trucidare aut per vim fraudulentam è medio tollere non

verentur,

verentur, In quo immanitatem & abominationem omnem longe superat, ad quod vel ipsum exhorrescere oporteret diabolum, quod ad tam abominandum facinus consilia suppeditare, sicariosque subornare, & instigare inanimum inducant Ecclesiastici; imo illorum coryphæi, qui Ecclesiæ Romanæ lumina & columina ab omnibus haberi appetunt.

Sicut Magistratus, præsertim summi, dominantur subditis suis, ita & cum splendore atque apparatu magno prodeunt seséque ostentant. Hoc enim requirere videtur conditio regnorum mundi hujus, facitque ad faciliorem subditorum, præsertim in amplis regionibus, coërcitionem. Christus verò ministris suis, ut omni dominio, ita & splendore omni atque pompa interdixit. Luc. 22. vers. 25. 26. *Reges gentium dominantur eis, & qui potestatem habent in eas benefici vocantur: Vos autem non sic: sed qui maximus est inter vos, sit sicut qui minimus est; & qui præest ut qui ministrat.* Magistratui ergo potestas competit *αὐτοκρατορικὴ*, arbitraria, dominans, & imperans: sc. quatenus Magistratus est, sive populo præfectus: & quia Politica potestas, primò & absolutè est in Magistratu summo, in illo potestas ista arbitraria & dominans primò residet, in subordinato autem in quantum ipsi à summo Magistratu est concessum. Ecclesiæ autem Pastori &

Inspectori nil nisi ministerium competit, in quantum Christi minister est atque Legatus.

Itaque Magistratus, quibus illa potestas primò & absolutè in populo data est, immediatè Deo subsunt, reliquis in ordine suo singulis consistentibus. Nulla enim datur potestas intermedia, inter Potestatem ipsius Dei, & Potestatem Magistratuum politicam, per quam, vel cujus interventu, potestas hæc à potestate divina in Magistratus dimanarit. Pastores verò & inspectores Ecclesiarum immediatè subsunt Christo, ut Capiti & Regi Ecclesiæ suæ spirituali; nulla inter Christum & Pastores intercedente potestate, per quam potestas Ecclesiastica à Christo in Ecclesiarum Pastores derivetur. *Ipse enim constituit Apostolos, Prophetas, Euangelistas, Pastores & Doctores:* Eph. 4. vers. 11. Apostolos quidem & similes immediatè, cum ille ipse eos ordinarit & in mundum miserit; ordinarios autem mediatè per electionem Ecclesiarum liberam, & ordinationem ministrorum à se constitutorum; attamen ex sola sua potestate, quam semel in Ecclesia sua omnibus suis ministris reliquit. Quemadmodum in populo Israelitico potestas Sacerdotum & Levitarum immediatè pendebat à Deo ut Legislatore, & à constitutione ejus. Quamvis enim illi suas obtinebant functiones per successionem filiorum

in lo-

in locum parentum, illas tamen ipsi obibant docendo, sacrificando, ministrando, interque mundum & immundum dijudicando, &c. ex potestate semel ipsis à Deo facta. Sic etiam in populo & Ecclesiâ Novi Testamenti, Potestas Pastorum & Ministrorum Ecclesiæ pendet immediate à Christo Dei Filio in carne manifestato, ut Novi Testamenti Mediatore, & ab ipsius institutione ac missione.

APPENDIX

Ad Caput tertium & quartum.

QUia autem doctrina ista hîc consideranda venit, non tantum ut verbo Dei consentanea, verum etiam ut è verbo Dei in Ecclesiis Reformatis recepta, operæ pretium facturus videor, si Ecclesiarum istarum de Potestate Ecclesiasticâ sententiam, è verbo Dei haustam, breviter & candide hîc exhibeam: speciatim vero Ecclesiarum Helveticarum, è quibus aliæ omnes Ecclesiæ quæ specialiter Reformatæ dicuntur, velut rivuli è fonte derivatæ sunt: uti etiam earum à quibus prodiit Augustana Confessio, cui inhærere se profitentur omnes illæ quæ Lutherano nomine gaudent. Sic enim omnibus constabit Ecclesias istas, statim in ipso Reformationis & secessionis è

Papatu

Papatu initio, illam quam nos tradimus & explicamus potestatem Ecclesiasticam agnovisse & professas esse.

Confessio itaque Helvetica de Ministerio & Potestate Ecclesiastica sic loquitur Cap. 18. *Deus ad colligendam vel constituendam sibi Ecclesiam, eandemque gubernandam & conservandam, semper usus est ministris, iisque utitur adhuc, & utetur porrò quoad Ecclesia in terris fuerit. Ergo ministrorum origo, institutio, & functio, vetustissima & ipsius Dei, non nova aut hominum est ordinatio. Posset sane Deus suâ potentiâ immediatè sibi adjungere ex hominibus Ecclesiam, sed maluit agere cum hominibus per Ministerium hominum: Proinde spectandi sunt ministri, non ut ministri duntaxat per se, sed sicut Ministri Dei, utpote per quos Deus salutem hominum operatur.* Et post aliqua: *Et quidem ab initio mundi usus est Deus omnium præstantissimis in mundo hominibus, Patriarchis videlicet, cum quibus non rarò collocutus est per Angelos. Sequutus est illos Moses, cum Prophetis per universum mundum celeberrimis. Quid quod post hos misit Pater cœlestis Filium suum unigenitum, Doctorem mundi absolutissimum, in quo est abscondita divina illa sapientia, & in nos derivata per sacratissimam, simplicissimamque, & omnium perfectissimam doctrinam. Allegit enim ille sibi discipulos quos fecit Apostolos, Hi verò exeuntes*

untes in mundum universum collegerunt ubique Ecclesias per prædicationem Euangelii: deinde verò per omnes mundi Ecclesias ordinarunt pastores atque doctores ex præscripto Christi, per quorum successores hucusque Ecclesiam docuit ac gubernavit.

Rursum post aliqua: *Paulus simpliciter & breviter quid sentiamus de Novi Testamenti, vel de Ecclesiæ Christianæ ministris, & quid eis tribuamus, exponens* 1.*Corinth*.4. Sic nos æstimet homo (inquit) ut Ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei. *Proinde vult Apostolus ut de Ministris sentiamus tanquam de ministris: ὑπηρέτας verò nominavit Apostolus subremigatores, qui ad Nauclerum unicè respiciunt, vel homines non sibi, nec suo arbitrio, sed aliis viventes, Dominis, inquam, suis, à quorum mandatis omnino dependent. Nam minister Ecclesiæ totus, & in omnibus suis officiis, non suo arbitrio indulgere, sed illud duntaxat exequi jubetur quod in mandatis habet à suo domino. Et in præsenti quis sit Dominus exprimitur, Christus, cui in omnibus ministerii negotiis sunt mancipati ministri. Adjicit præterea quod ministerium plenius explanet, Ministros Ecclesiæ oeconomos esse vel dispensatores mysteriorum Dei. Mysteria verò Dei multis in locis, imprimis ad Ephes.*3. *appellavit Paulus Euangelium Christi. Mysteria nuncupavit etiam vetustas Christi sacramenta. Proinde in hoc sunt*

vocati ministri ecclesiæ ut Euangelium Christi annuncient fidelibus, & sacramenta administrent.

Nunc ergo commodè dicemus etiam quædam de potestate & officio Ministrorum Ecclesiæ. De potestate hac operosius quidam disputarunt, subdideruntque suæ potestati omnia in terris summa, idque contra mandatum Domini, qui suis dominium prohibait, humilitatem autem maximopere commendavit. Luc.22. Matth.18. & 20. Revera alia est potestas mera & absoluta, quæ & juris vocatur. Eâ potestate Christo domino universorum subjecta sunt omnia, sicut ipse testatus est & dixit, Data est mihi potestas in cœlo & in terra. *Et iterum*, Ego sum primus & novissimus, ecce sum vivens in secula seculorum, & habeo claves inferni & mortis. Item, Ipse habet clavem David, qui aperit & nemo claudit, claudit & nemo aperit. Matth. 28. Apoc. 2. & 3. *Hanc potestatem sibi servat Dominus, nec in alium quemquam transfert, ut ipse deinceps otiosus assistat operantibus ministris spectator. Iesaias enim cap. 9. & 22.* Clâvem domus David (inquit) ponam super humerum ejus? iterum, Cujus imperium erit super hnmerum ejus. *Nam gubernationem non injicit aliis in suos humeros, sed servat & utitur adbuc potestate suâ gubernans omnia. Alia porrò potestas est officii, vel ministerialis; limitata ab eo qui plena utitur potestate.*

testate. Ea ministerio quam imperio similior est. Concedit enim Dominus œconomo suo potestatem in domum suam, quo nomine & claves dat, quibus intromittat in domum, vel ex domo excludat, quos Dominus vel intromitti vult vel excludi: Iuxta hanc potestatem facit minister ex officio quod à Domino jussus est facere: & Dominus ratum habet quod facit, ipsumque Ministri sui factum perinde ut suum vult æstimari atque agnosci. Quò nimirum pertinent illæ Euangelicæ sententiæ. Dabo tibi claves regni cœlorum. *Et,* Quicquid alligaveris aut solveris in terra, alligatum aut solutum erit in cælis. *Item,* Quorumcunque remiseritis peccata remittentur eis, & quorumcunque retinueritis peccata retenta erunt. *Nisi verò minister res omnes ita expediverit sicut jussus est à domino suo, sed limites fidei transilierit, sanè irritum habetur à Domino quod fecit. Proinde potestas Ecclesiastica ministrorum Ecclesiæ est functio illa, qua Ministri Ecclesiam Dei gubernant quidem, verum omnia in Ecclesia sic faciunt, quemadmodum verbo suo præscripsit Dominus, quæ cum facta sunt, fideles tanquam ab ipso Domino facta reputant.*

Et cum egisset de Ministrorum æqualitate, sic porrò progreditur. *Officia Ministrorum sunt varia, quæ tamen plerique ad duo restringunt, in quibus omnia alia comprehenduntur, ad doctrinam Christi Euangelicam*

gelicam, & ad legitimam sacramentorum administrationem. Ministrorum enim est congregare cœtum suorum, in hoc exponere verbum Dei, & universam doctrinam accommodare ad rationem usumque Ecclesiæ, ut ea quæ docentur prosint auditoribus, & ædificent fideles. Ministrorum (inquam) est docere imperitos, hortari item & urgere ad progrediendum in via Domini cessantes, aut etiam tardius procedentes: consolari item & confirmare pusillanimes, munireque contra tentationes Satanæ varias: corripere peccantes, revocare in viam errantes, lapsos erigere: contradicentes revincere, lupos denique ab ovili domini abigere: scelera item & sceleratos prudenter & graviter increpare, neque tacere aut connivere ad conscelerationem. Sed & sacramenta administrare, usumque eorum justum commendare, & omnes ad illa percipienda per sanam doctrinam præparare: in unitate quoque sancta fideles conservare, & schismata prohibere: denique catechisare rudes, pauperum necessitatem commendare Ecclesiæ, ægrotantes & variis implexos tentationibus visitare, instruere, & in via retinere: præterea orationes publicas, vel supplicationes, necessitatis tempore, una cum jejunio, id est, abstinentia sancta procurare: & omnia quæ pertinent ad Ecclesiarum tranquillitatem, pacem, & salutem quam diligentissimè curare. Vt autem hæc omnia rectius faciliusque possit minister præstare, re-

quiritur

quiritur ab eo imprimis ut sit Dei timens, oret sedulò, lectioni sacræ intendat, & in omnibus & semper vigilet, & puritate vitæ omnibus præluceat. Cumque omnino oporteat esse in Ecclesia disciplinam, & apud veteres quondam usitata fuerit Excommunicatio, fuerintque judicia Ecclesiastica in populo Dei, in quibus per viros prudentes & pios exercebatur hæc disciplina, ministrorum quoque fuerit ad ædificationem moderari disciplinam hanc, pro conditione temporum status publici ac necessitate. Vbi semper tenenda est regula, Omnia fieri debere ad ædificationem, decenter, honestè, sine tyrannide & seditione: Apostolus enim testatur 2. Cor.10. sibi à Deo traditam esse in Ecclesiâ potestatem ad ædificationem, & non ad destructionem.

Confessionem istam Helveticam approbarunt Ecclesiæ Gallicæ & Belgicæ omnes, itemque Anglicæ & Scoticæ, nec non Polonicæ, Hungaricæ, & Germanicæ multæ. Sic ergo Gallica confessio. Art. 29. *Credimus veram Ecclesiam gubernari debere ea politia, sive disciplina, quam Dominus noster Iesus Christus sancivit: ita vid. ut in ea sint Pastores, presbyteri sive seniores, & diaconi, ut doctrinæ puritas retineatur, vitia cohibeantur, pauperibus & reliquis calamitosis, prout opus est, consulatur, & sacri cœtus ædificandis, tum parvis, tum magnis habeantur. Actor.6. vers.4. Eph.4. v.11. 1.Timoth.3.*

moth. 3. *v.* 1. *Tit.* 1. *v.* 5. Art. 30. *Credimus omnes veros Pastores, ubicunque locorum collocati fuerint, æquali & eadem inter se potestate esse præditos, sub unico illo capite, summoque & solo universali Episcopo Iesu Christo: ac proinde nulli Ecclesiæ licere sibi in aliam imperium aut dominatum vendicare. Matth,* 20. *v.* 26. & 18. *v.* 23. & 2. *Corinth.* 1. *v.* 27. 1. *Pet.* 5. *vers.* 3. Art. 32. *Credimus expedire, ut qui electi sunt Ecclesiæ alicujus præfecti, inter se dispiciant qua ratione totum corpus commodè regi possit. Ita tamen ut ab eo quod Dominus noster Iesus Christus instituit nusquam deflectant. Hoc autem non impedit quo minus quædam singulis locis peculiaria sint instituta, prout commodum visum fuerit. Actor.* 14. *v.* 23. & 15. *vers.* 6. 7. 25. 28. 1. *Cor.* 14. *vers.* 40. & 1. *Pet.* 5.

Confessio Anglica. *Credimus Ecclesiam esse regnum, esse corpus, esse sponsam Christi: ejus Regni Christum solum esse Principem, ejus corporis Christum solum esse Caput, ejus sponsæ Christum solum esse sponsum, Varios in Ecclesia esse ordines Ministrorum: alios esse Diaconos, alios Presbyteros, alios Episcopos quibus institutio populi, & Religionis cura & procuratio commissa sit.* Et post aliqua: *Ministris à Christo datam esse dicimus ligandi, solvendi, aperiendi, claudendi potestatem. Ac solvendi quidem munus in eo situm esse, ut Minister, vel dejectis animis, & verè*

& verè resipiscentibus, per Euangelii prædicationem merita Christi, absolutionemque offerat, & certam peccatorum condonationem ac spem salutis æternæ denunciet, aut eos qui gravi scandalo, & notabili publicoque aliquo delicto fratrum animos offenderint, & sese à communi societate Ecclesiæ, & à Christi corpore quodammodo abalienarint, resipiscentes reconciliet, & in fidelium cœtum atque unitatem recolligat ac restituat. Ligandi verò illum claudendique potestatem exercere dicimus, quoties vel incredulis & contumacibus regni cœlorum januam occludit illisque vindictam Dei & sempiternum supplicium edicit, vel publicè excommunicatos Ecclesiæ gremio excludit. Sententiam autem quamcunque ministri ad hunc modum tulerint, Deus ipse ita comprobat, ut quicquid illorum opera solvitur aut ligatur in terris, idem ipse solvere & ligare velit in cælis.

Confessio Belgica Art.30. *Credimus veram hanc Ecclesiam debere regi ac gubernari spirituali illa politia; quam nos Deus ipse verbo suo edocuit: ita ut sint in ea Pastores ac Ministri, qui purè & concionentur & sacramenta administrent. Sint quoque Seniores & Diaconi, qui Ecclesiæ senatum constituant, ut his veluti mediis vera religio conservari, veraque doctrina passim retineri & propagari possit, hominesque vitiis dediti spiritualiter corripi & emendari, ac veluti freno quo-*

no quodam disciplinæ cohiberi: pauperes item & afflicti auxilio & consolatione, pro cujusque necessitate, sublevari. Tunc enim rite omnia & ordine fient in Ecclesia, quum viri fideles ac pii ad ejus gubernationem deligentur, juxta divi Pauli præscriptum quod habetur 1. *ad Timoth. cap.*3. *& Tit.*1. Art. 32. *Interim credimus quidem utile esse ut seniores qui Ecclesiæ præsunt aliquem inter se ordinem constituant ad conservationem corporis Ecclesiæ; modo studiose caveant ne quo pacto ab iis deflectant declinentve quæ Christus ipse, unicus Magister noster, semel constituit.*

Audivimus Confessiones Ecclesiarum quæ doctrinam verè ac purè reformatam receperunt: audiamus Augustanam, ad quam Ecclesiæ quæ Lutheranæ dici gaudent omnes provocant. Illa ergo Cap. de Potestate Ecclesiastica sic loquitur: *Magnæ disputationes fuerunt de Potestate Episcoporum, in quibus nonnulli incommodè commiscuerunt potestatem Ecclesiasticam & potestatem gladii. Et ex hac confusione maxima bella, maximi motus extiterunt, dùm Pontifices, freti potestate Clavium, non solum novos cultus instituerunt, reservatione casuum, violentis excommunicationibus, conscientias oneraverunt: sed etiam regna mundi transferre, & Imperatoribus adimere Imperium conati sunt. Hæc vitia multò ante reprehenderunt in Ecclesia homines pii & erudi-*

eruditi. Itaque nostri, ad consolendas conscientias, coacti sunt ostendere discrimen ecclesiasticæ potestatis, & potestatis gladii: & docuerunt utramque propter mandatum Dei religiosè venerandam, & honore afficiendam esse, tanquam summa Dei beneficia in terris. Sic autem sentiunt, Potestatem clavium, seu potestatem Episcoporum, juxta Euangelium, potestatem esse seu mandatum Dei prædicandi Euangelium, remittendi & retinendi peccata, & administrandi Sacramenta. Nam cum hoc mandato Christus mittit Apostolos. Sicut misit me Pater ita & ego mitto vos. Accipite spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata remittuntur iis, & quorum retinueritis peccata retenta sunt. Et Marc. 16. Ite prædicate Euangelium omni creaturæ, &c. *Hæc potestas tantum exercetur docendo, seu prædicando Euangelium, & porrigendo sacramenta, vel multis, vel singulis, juxta vocationem, quia conceduntur non res corporales, sed res æternæ, justitia æterna, spiritus sanctus, vita æterna. Hæc non possunt contingere nisi per ministerium verbi & sacramentorum: sicut Paulus dicit,* Euangelium est potentia Dei ad salutem omni credenti. *Itaque cum potestas Ecclesiastica concedat res æternas, & tantum exerceatur per ministerium verbi, non impedit politicam administrationem. Nam politica administratio versatur circa alias res quam Euangelium.*

Magi-

Magistratus defendit, non mentes, sed corpora, & res corporales, adversus manifestas injurias, & coercet homines gladio, & corporalibus pœnis, ut justitiam civilem & pacem retineat.

Non igitur commiscendæ sunt potestates Ecclesiastica & Civilis. Ecclesiastica suum mandatum habet Euangelii docendi, & administrandi sacramenta. Non irrumpat in alienum officium, non transferat regna mundi, non abroget leges Magistratuum, non tollat legitimam obedientiam, non impediat judicia de ullis civilibus ordinationibus aut contractibus, non præscribat leges Magistratibus de formâ Reipublicæ, sicut dicit Christus. Regnum meum non est de hoc mundo. Item. Quis constituit me judicem aut divisorem inter vos? *Et Paulus ait Phil.* 3. Nostra politia in cælis est. *Et* 2. *Corinth.* 10. Arma militiæ nostræ non sunt carnalia, sed potentia Deo, ad destruendas cogitationes, &c. *Ad hunc modum discernunt nostri utriusque potestatis officia, & jubent utramque honore afficere, & agnoscere utramque Dei donum & beneficium esse. Si quam habent Episcopi potestatem gladii (uti hoc fit in Papatu, ubi multi Episcopi etiam pollent potestate Civili, & sunt in ditionibus suis supremi Magistratus) hanc non habent ut Episcopi, ex mandato Euangelii, sed jure humano donatam à Regibus & Imperatoribus, & administrationem*

strationem civilem suorum bonorum. Hæc interim alia functio est quam ministerium Euangelii. Cum igitur de jurisdictione Episcoporum quæritur, discerni debet Imperium ab Ecclesiasticâ jurisdictione. Porrò secundum Euangelium, seu (ut loquuntur) de jure divino, nulla jurisdictio competit Episcopis ut Episcopis, hoc est, his quibus commissum est ministerium verbi & sacramentorum, nisi remittere peccata; item cognoscere doctrinam, & doctrinam ab Euangelio dissentientem rejicere, & impios, quorum nota est impietas, excludere à communione Ecclesiæ, non vi humana, sed verbo.

Audiamus & Saxonicam Confessionem Art. 12. de Ecclesia sic loquentem. *Qualis sit Ecclesia ostend t Filius Dei, inquiens,* Regnum meum non est de hoc mundo: *item,* Sicut Pater meus misit me, sic ego mitto vos. *Colligitur voce Ministrorum Euangelii æterna Ecclesia Deo, & quidem hac voce Deus est efficax, & multos ad se convertit. Hoc immensum beneficium Dei agnoscere & grati celebrare debemus. Quanquam autem Ecclesia est cœtus qui conspici & exaudiri potest, tamen discernendus est ab Imperiis Politicis, seu gerentibus gladium: Nec jure divino habent Episcopi potestatem puniendi non obedientes, nec imperia mundi occupandi: & tamen in ea ordo est, juxta illud.* Ascendit, dat dona hominibus, Apostolos, Prophetas, Euangelistas, Pastores & Do-

ctores. *Filius Dei eſt ſummus ſacerdos, unctus ab æterno Patre, qui, ut non funditus intereat Eccleſia, miniſtros Euangelii ei attribuit, partim à ſe immediatè vocatos, ut Prophetas & Apoſtolos, partim vocatione humana electos. Nam & Eccleſia vocationem approbat, & immenſa bonitate efficax eſt, etiam ſonante Euangelio per electos ſuffragiis, aut nomine Eccleſiæ. Retinemus igitur & in noſtris Eccleſiis publicum ritum ordinationis, quo commendatur miniſterium Euangelii viris electis, quorum mores & doctrinam prius exploramus. Et de dignitate miniſterii fideliter docemus Eccleſias. Nihil majus dici poteſt quam quod Filius Dei inquit,* Sicut Pater meus miſit me, ſic ego mitto vos. *Oſtendit & quæ mandata det,* Prædicate Euangelium: *& affirmat ſe per vocem illorum efficacem fore, ſicut Pater oſtendit ſe efficacem fore per Filium. Proponimus & mandata Dei:* Qui vos audit, me audit: qui vos ſpernit, me ſpernit. *Item,* Obædite præpoſitis veſtris. *Nec tamen hæc dicta regnum conſtituunt extra Euangelium, ſed obædientiam præcipiunt debitam voci Euangelii. Et ad miniſterium hæc pertinent, Docere Euangelium, adminiſtrare ſacramenta, vocem abſolutionis impartiri pœnitentibus qui non perſeverant in manifeſtis delictis, ordinare miniſtros Euangelii ritè vocatos & exploratos, exercere judicia Eccleſiæ legitimo modo: de iis qui manifeſtorum cri-*

criminum in moribus aut doctrina rei sunt, & contra contumaces sententiam excommunicationis ferre, & conversos rursus absolvere ac recipere. Hac ut ritè fiant etiam consistoria in Ecclesiis nostris constituta sunt.

Possent his adjungi testimonia doctorum Ecclesiæ reformatæ: verum ex publicis Confessionibus certius constare potest omnium Ecclesiarum doctrina, quam ex privatis horum illorumve doctorum scriptis. Unicum adjiciemus D. Davidis Paræi Theologi Heidelbergensis, & quidem eâ potissimum de causa, quod ipsius sententia in sequentibus considerationi subjicienda sit. Hic in explicationibus Catecheticis, in loco de Ecclesia, ad Quæst. 5. *Quid differat Ecclesia à Politia,* sic respondet. *Pracipua discrimina sunt 1. Politia est cœtus, qui obligatur certis legibus politicis ad externam disciplinam, secundum utramque tabulam decalogi: Ecclesia est cœtus amplectentium Euangelium, & rectè utentium sacramentis, qui regitur spiritu & verbo Dei, requirente internam & externam obedientiam.* Hæc conveniunt cum iis quæ supra docuimus de Politicæ & Ecclesiasticæ potestatis origine, naturâ, & conditione. 2. *In Ecclesia semper sunt aliqui sancti electi, in Politia non semper. 3. Politia sunt multa, diversa, locis temporibus & legibus distincta; nec qui est civis unius est alterius quoque vel omnium*

civis, nec eſt una aliqua generalis politia cujus aliæ omnes ſunt partes. Eccleſia fuit, eſt, & erit, una omnibus temporibus, & apud omnes: ideo dicitur Catholica, habens multas partes. Hæc conveniunt cum iis quæ ſupra tradidimus de regno Dei univerſali in totum genus humanum, & de regno ſpeciali in electos & fideles. 4. *Caput Eccleſiæ unum & in cœlo eſt Chriſtus: Politiæ multa, & quidem in terrâ.* Hoc convenit, tum cum iis quæ ſupra docuimus de utroq; regno Dei; tum cum iis quæ infra adhuc docebimus de uno Capite & Rege ſpirituali Eccleſiæ Chriſto, deque ipſius ſolius architectonicâ poteſtate in rebus Eccleſiaſticis. 5. *Politia habet authoritatem prætoriam condendi leges, quibus etiam propter conſcientiam obtemperandum eſt: Eccleſia eſt alligata ad verbum Dei, nec habet poteſtatem condendi novos articulos fidei. Poteſt quidem conſtituere ordinem & decorum, ſed ſine obligatione conſcientiarum, idque non authoritate prætoria, ſed ex conſenſu.* De hoc quinto diſcrimine infra aliquid dicendum erit ſub finem hujus tractatus. 6. *Politia eſt armata potentia corporali contra delinquentes, & tuetur leges ſuas gladio: Eccleſia tantum habet gladium verbi, hoc eſt, denunciationem iræ Dei adverſus contumaces.* Videt ergo pius lector diſcrimen inter utramque poteſtatem tale traditum quale nos hactenus oſtendimus,

stendimus, cum quo convenient ea quæ deinceps, Deo dante, tradituri sumus.

CAP. V.

Ostendens quâ ratione duæ illæ potestates juxta se mutuò consistere possint, sic ut neutra alteram lædat; sed potius altera alteram promoveat.

Vidimus utramque potestatem seorsim, simulque quodnam inter illas sit discrimen. Quia verò utraque à Deo constituta est, & inter homines reperire datur, videndum porrò quomodo juxta se invicem consistere possint ita ut altera alteram non lædat. Consideratu hoc est & explicatu facile, si animadvertatur quomodo ipse Christus, Propheta summus, & Potestatis Ecclesiasticæ author, qui Magistratibus ut incola & civis fuit obnoxius, & mandatis eorũ obedientiam prȩstitit, censumque eis solvit, & solvere docuit, inter Israelitas regnum Dei docere aggressus sit, ut eorum animos, falsis opinionibus & superstitionibus imbutos, & à vera pietate alienos, vera Dei cognitione & pietate imbueret, Deoque morigeros redderet: docens Magistratui censum, aliaque quæ ad ipsum pertinent externa esse tribuenda;

 & Deo

& Deo quod ipsius est, sc: veram fidem & obædientiam, aliaque spiritualia officia esse præstanda. Si observetur etiam quâ ratione ipsius Apostoli, relinquentes Regibus, Principibus, Magistratibus, imperia sua, principatus, dominia, & jurisdictiones, animos tantum humanos, è tenebris ignorantiæ & peccati erutos, luceque verbi divini collustratos, Deo & Christo ejus subjicere sategerint. Quippe qui missi non erant ut in terris dominarentur, imperia invaderent, regna occuparent: sed *ut mentis oculos aperirent, quò à tenebris converterent se homines ad lucem, & à potestate Satana ad Deum, ut remissionem peccatorum, & sortem inter sanctificatos accipiant per fidem.* Act. 26. vers. 18. Eòdem enim spectat Potestas Ecclesiastica quæ est penes ordinarios Christi Ministros. Agnoscant hanc Dei & Christi ordinationem qui potestate Politicâ potiuntur, eique pro se ipsis singuli se subjiciant, quatenus suæ ipsorum salutis studiosi esse debent. Admittant eam intra ditiones suas, authoritateque sua muniant & stabiliant, ut ministrorum Christi operâ, gloria Dei & regnum ipsius spirituale, cum salute eorum qui ipsis subjecti sunt, remotis offendiculis promoveatur. Pastores quoque sua sorte & ministerio contenti, in hoc solum incumbant, hoc pro virili conentur, ut quilibet, cujuscunque sint conditionis, magnates & plebei,

plebei, debita cum obædientia & humilitate Deo & Filio ejus, ut Regi spirituali, se suaque submittere discant. Hæc si utrimque ritè peragerentur, nulla hîc reperiretur difficultas; nec politica potestas impediret Ecclesiam, nec Ecclesiastica Politicã, neutraque earum in alteram involaret, aut alterius partes sibi sumeret: sed utraque quod suum est, summa cum pace & concordia, conferret ad regni Christi propagationem, altera ministerio suo animos ad Christi fidem & obædientiam flectens; altera ministerium illud authoritate sua stabiliens ac muniens: utraque exemplo pietatis suæ præiens, & quoslibet ad Ecclesiæ Christi communionem alliciens.

Verum hîc (nefandum dictu) variis modis ac temporibus, ingenti multorum damno, humana & diabolica se prodidit arrogantia. Diabolus non ferens virtute & verbo Christi regnum suum in mundo destrui, omnis generis ordinisq; homines in Christum, ministrosq; ejus, quâ extraordinarios, quà ordinarios, excitavit, qui, partim astu, partim vi, eorũ conatui se opponerent: In his invenit plurimos sibi faventissimos, qui operam & studium suum machinationibus ejus quam lubentissimè, summâque cum vehementiâ, impenderunt. Hinc est quod ordinis omnis, sortis, ac potestatis, homines, in Christum, Apostolos ejus, aliosque ipsius ministros, quin & in totas

Ecclesias, omnesque eos qui nomen Christi profitebantur, quaquaversum per totum terrarum orbem turmatim insurrexerint: Causati non tantum antiquæ religionis profanationem; sed & regnorum ac rerumpublicarum commotionem & subversionem. Quare & maximi orbis terrarum Principes, veriti ne Christiana religio in suæ cederet detrimentum potestatis, profligandam & extirpandam eam penitus censuerunt, ut scil: cum avitâ religione & sua staret authoritas. Maximum certè toti Ecclesiæ Christi hîc creabatur absoluti interitus periculum: quod nulla humana, vel amoliri potuisset potentia, vel evitare industria. Sed ipse Dei Filius Iesus Christus, cujus causa agebatur, gloriam suam illustrare, Deique se Filium, æternum cum Patre suo Deum, demonstrare voluit; ut qui in tantis difficultatibus, in maximis discriminibus, in sævissimis persecutionibus, quin & inter varia scandala intrinseca, & Philosophorum ac sophistarum vaferrimas & acerrimas insultationes, Ecclesiam suam, regnum suum spirituale, conservare non tantum ne interiret, sed & promovere potuerit, ut ingentia indies, contra omnes machinationes, insultus, & oppressiones gravissimas, incrementa sumserit: donec tandem, hostibus illis profligatis, & potentiâ illorum protritâ, Ecclesiæ suæ, ad tempus aliquod, pacem quandam &

tran-

tranquillitatem externam concessit. Egregiè hoc olim à Davide prædictum fuit, Psal. 2. ubi primò exhibet hostilem omnis ordinis hominum, maximè verò Principum & Magnatum, in Deum & Christum ejus animum, vers. 1. 2. 3. *Vt quid congregant se turmatim Gentes, & populi meditantur inane? Astant reges terræ, & principes consilium capiunt pariter, adversus Iehovam, & adversus Christum ejus: Dirumpamus* (dicunt) *vincula eorum, & projiciamus à nobis funes eorum*. Deinde ostendit irritos fore eorum conatus, ipsosque planè ridiculos, ideo quod Deus in regem spiritualem Ecclesiæ suæ constituerit Filium suum ab æterno à se genitum. vers. 4. 5 6. 7. *Habitans in cœlis ridebit, Dominus subsannabit eos. Tunc loquetur ad eos in furore suo, & in ira sua terrebit eos, dicens, Ego constitui regem meum super Sion montem sanctum meum. Narrabo ipsum decretum quod Iehovah dixit ad me; Filius meus es tu, Ego hodie genui te*. Tum inde concludit tantum abesse ut Principes illi quidpiam adversus Christum Dei efficiant, ut è contrario ipse Christus regnum suum longè latèque extendat ad fines usque orbis terrarum, etiam ipsis invitis ac frustra renitentibus; quin & istos hostes profliget planè & conterat, referens verba Dei Patris Filium suum unigenitum sic alloquentis. vers. 8. 9. *Postula à me & dabo Gentes hære-*

hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ. Conteres eos virga ferreâ, sicut vas figuli confringes eos. Unde tandem occasionem sumit monendi reges & principes, ut debita cum humilitate & reverentia Filio illi Dei se subjiciant. vers. 10. 11. 12. Et *nunc Reges prudenter agite, erudimini Iudices terræ. Servite Iehovæ in timore, & exultate in tremore: Osculamini Filium, ne forte irascatur, & pereatis in via, quum exarserit vel paululum furor ejus: Beati omnes qui sperant in eo.*

Inepti & stolidi erant Regis illi & principes, quod se tanto Regi opponerent: nec minus inepti in eo quod, admittendo regnnm Christi, authoritatem suam labefactandam putarent. Nam regnum istud de quo adeò sibi metuebant non est de hoc mundo, ut & ipse Rex Christus Pilato, Cæsari suo ex Iudæorum criminatione male ab ipso metuenti, disertè respondit Ioh. 18. v. 36. Quare & discipuli ac Ministri ipsius nihil minus cogitarunt quam ut in principatus ac Dominationes Magnatum involarent. Injecta est quidem istius rei suspicio Principum animis per virulentissimas adversariorum ipsis insidiantium accusationes: sed quas luce meridianâ clarius refutarunt, insignibus apologiis, & rationibus manifestissimis, etiam è reipsâ deductis, innocentiam suam cordatè demonstrantes. Ab omni enim seditione alienissimi,

simi, nihil aliud operam dabant nisi ut mentes omnium & affectus, Christi fide & dilectione imbutos, Deoque ac voluntati ejus subjectos, ad veræ pietatis studium permoverent: quos eò adduxerant in eodem confirmarent, exorbitantes in viam reducerent; refractarios disciplinâ Ecclesiasticâ coercerent, lupos rapaces ab ovili Christi arcerent, novitatis & heteredoxiæ studiosos reprimerent, adeoque omnia, è regno Christi scandala pro virili ejicerent. Certe ab his omnibus nihil metuendum erat potestati politicæ: imò hæc omnia admittendo, & authoritate politicâ stabiliendo, bona quævis, prospera, & felicia Magistratibus erant expectanda; quippe quibus gratiam & favorem Dei sibi conciliantes, regna sua & respublicas sub potenti ejus protectione tutas ac firmas experturi erant. Cum è contrario potestati Regis illius, & regno ejus spirituali, obnitentibus, nil, præter calamitates, seditiones, turbas, tremores, ac totalem tandem interitum, esset expectandum. Experti id sunt, maximo cum detrimento suo, quotquot è Romanis Cæsaribus pessimo isti consilio auscultarunt: senserunt enim maximi illius Regis, ad Patris dexteram considentis, virgam feream, qua eos, ad aliquantulum temporis tumultuantes, tandem vasis instar fictilis confregit prorsus & contrivit. Inter illos & postremi Maxen-

tius atque Licinius, qui à Constantino victi, profligati, atque interemti, illustre præbuerunt posteris omnibus insaniæ istius exemplum:

Constantinus memor auxilii, in felici illâ expeditione à Christo sibi præstiti, & prædecessorum exemplo prudentior factus, rite judicavit Christo parendum, pro beneficio præstito gratitudinem exhibendam, omnemque suam potestatem in regni Christi promotionem sibi convertendam esse. Quapropter non solum à persequendis fidelibus, evertendaque Christi Ecclesia abstinuit: verum & potestate sua illam defendit, atque ab omni vi externa immunem esse voluit: fana idolorum claudi, oratoria Christianis aperiri, quin & nova eis ædificari jussit, eaque omnia adhibuit quæ ad tranquillitatem externam, decusque Ecclesiæ, ut regni Christi spiritualis, facere videbantur. Tranquillitate sua ac pace spirituali fruebantur Christianorum animi & conscientiæ, etiam in mediis persecutionibus, è vera in Christum fide, ac Spiritus S. solatio: decoreque suo spirituali ornata satis erat, ac fulgebat Ecclesia, à justitia Christi ipsi imputatâ quâ coram Deo justa compareret; & à Spiritus sanctificatione, qua omnem vincit totius mundi splendorem ac gloriam. Sed ne amplius coram mundo, inedia, exilio, vulneribus, rogis, cadaveribus, & similibus squaleret, à

pio

pio ipsi concedebatur imperatore: simul ut Christi in Ecclesia ipsius ministri, in publico securè loquentes, verbum ipsius in cætibus suis tuto & liberè annunciantes, eò commodius ac facilius, remotis obstaculis quibusvis externis, regnum ejus apud quosvis promovere possent. Hinc illis concessum omnes ministerii sui partes obire & verbum prædicare, sacramenta administrare, disciplinam in exorbitantes exercere, & omnia quæ ad cultus divini circumstantias pertinent ad decorem & ordinem in Ecclesiis suis disponere, quasque ante, ab ipsa Christi in cælos ascensione ad id usque tempus, sub variis periculis cum metu objerant functiones, deinceps sine metu tranquille exequi. Hinc etiam factũ quod, cum *Arius* quidam presbyter Alexandrinus, errore suo de Divinitate Iesu Christi filii Dei, turbas in Ecclesiis passim gravissimas excitasset, in communi Ecclesiarum causa, quoslibet, ex omnibus imperii sui regionibus, ecclesiarum Episcopos, utpote Christi ministros, convenire voluerit, ut res illa Ecclesiastica, à viris Ecclesiasticis, in conventu Ecclesiastico, Ecclesiastica potestate judicaretur: ratus nihil admissione, & defensione, ac stabilitione exercitii potestatis illius Ecclesiasticæ, summæ suæ politicæ potestati decedere.

Noverat vir prudens Prædicationem Euangelii, ministerium Christi, & ex eo

natam

natam Ecclesiam, atque in Ecclesia potestatem istam Ecclesiasticam, in imperium Romanum introducta esse vi majoris ac sublimioris, quam quæ ipsius erat, potestatis. Noverat authorem illorum omnium omnipotenti sua virtute, etiam ipso invito, omnia illa promovere & extendere posse quocunque vellet. Noverat graviter eos peccare qui rebus istis, adeoq; regno Christi illius, opponere se auderent, ac proinde gravem illius iram in se concitare. Cognita ipsi erant horrenda ruinæ & interitus illorum qui se illi opposuerant exempla. Itaque alia via sibi insistendum esse prudenter judicabat: religionem sc. Christianam, Ecclesiamque, cum toto ejus regimine, & omnia quæ eo spectant, admittenda esse in ditiones suas, stabilienda, fovenda, muniendа, ac defendenda authoritate sua. Noverat suam qua pollebat authoritatem vigere, non in Ecclesia, quippe quæ regnum Christi est, & regnum spirituale ac æternum, sed extra Ecclesiam in Imperio Romano, quod regnum erat mundanum & temporale. Intelligebat ergo discrimen quod supra docuimus, inter regna mundi externa temporalia, constituta a Deo in regno suo universali in totum genus humanum; & regnum Christi speciale quod est ipsius Ecclesia. Hinc curam, inspectionem, authoritatem competere sibi probè quidem noverat: sed eorum, & in eos, qui extra

Eccle-

Ecclesiam sunt; cura ac inspectione spirituali Ecclesiæ, & eorum qui fidei professione pro Ecclesiæ membris habentur, Pastoribus & inspectoribus Ecclesiasticis relicta. Non ineptè hoc judicavit, cum episcopis quibusdam quos convivio exceperat, facete ad nomen Episcopi alludens, dixit, ut narrat Eusebius lib. 4. de vita ipsius cap. 24. ὑμεῖς μὲν τῶν εἴσω τῆς ἐκκλησίας, ἐγὼ δὲ τῶν ἐκτὸς ὑπὸ Θεοῦ καθεσταμένος ἐπίσκοπος. Quod non significat (ut Latinus interpres vertit) *Vos intra Ecclesiam, ego extra Ecclesiam à Deo episcopus constitutus sum:* quasi ipse se Ecclesiæ Episcopum extra Ecclesiam diceret constitutum; quod deinceps aliqui sic explicant, ac si Episcopos Ecclesiasticos in templo diceret Episcopos, se verò extra templum Ecclesiæ Episcopum faceret: sed *Vos quidem estis Episcopi eorum qui in Ecclesia sunt; ego verò eorum qui extra sunt à Deo sum constitutus Episcopus.* Vertimus masculino genere (*Eorum qui*) non neutro (*Eorum quæ:*) homines enim respicit, non res quæ, vel in Ecclesia sunt, vel extra Ecclesiam (ut vir eruditissimus D. Iacobus Revius accuratè & bene observavit.) Dicit autem Constantinus se Episcopum laxiori significatione, prout denotat quemvis qui alicujus rei curam gerit, alludens sc: ad curam & inspectionem eorum qui in Ecclesiis, propter curam & inspectionem quæ animas propriè concernit, peculiari ratione

Episcopi

Episcopi dicuntur, sic ut illud nomen, quod alias per se commune erat, factum sit illis proprium.

Sub isthac pietate ac prudentia magni illius Constantini, duæ illæ potestates aptè inter se consistere possunt, sine alterutrius læsione: & talem Constantini Magni Episcopatum Ecclesiæ reformatæ haud illibenter agnoscent. Hoc enim est quod hactenus diximus, Omnes sc: omnino homines subditos esse Dei in universali ipsius, quod in totum humanum genus habet regno, ut creatoris sui & conservatoris, cui omnes obædire tenentur secundum legem ipsius; & quo omnes omnino, tanquam creaturæ & instrumenta ipsius, diriguntur, sive volentes sive inviti, sive gnari, sive nescii, ad fines ab ipso præstitutos: Sed in regno speciali, quod Deus per Iesum Christum filium suum, in genere humano, prorsus & in totum ab ipso alieno, ac Satanæ mancipato, contra Satanæ regnum erigit, Christi, ut Regis spiritualis, subditos esse omnes in illum credentes. In illo regno universali, ut variæ sunt hominum communitates, ita variæ sunt Respublicæ & Regna, in quibus Deus, ordinis & tranquillitatis causa, Magistratus & Potestates supereminentes constituit. In regno speciali, quod est Ecclesia, per totum orbem dispersa, uti varii sunt cætus Christo auscultantes, ita variæ sunt particulares Ecclesiæ, quibus Christus, conserva-

servationis & promotionis illarum causa, constituit Pastores & Inspectores ut ministros suos. Hinc fit quod qui Pastores & Rectores sunt in regno speciali, subditi sint Magistratuum in regno Dei universali; illorum sc: qui præsunt illis Rebuspublicis in quibus isti habitant, & suo funguntur ministerio: Et vice versa, qui Magistratus sunt in Republica, & aliorum rectores, oves sint in Ecclesia, verbo Dei à Pastoribus Ecclesiasticis pascendæ, & disciplina Ecclesiastica regendæ. Utrosque, tum hos, tum illos, potestate instruxit Deus, sed longè diversa, pro diversitate subjecti circa quod vel hæc vel illa versatur. Magistratuum potestas versatur circa homines simpliciter: Pastorum verò circa illos ut prædicatione Euangelica Christo subjectos. Illa à natura originem trahit, è maritali authoritate, patriâque potestate, naturalique hominum propagatione & consociatione, atque in varias communitates distributione. Hæc à divina gratia superinducitur, ut regnum Satanæ, quod totum humanum genus occupavit, destruat, miserosque homines, peccato & morti obnoxios, in regnum Iesu Christi traducat. Nulla igitur inter illas lis debet esse atque contentio: nulla poterit esse, si hæc, suis limitibus contenta, solam Iesu Christi institutionem sequatur, nec vel Potestatem Politicam sibi rapiat, vel se Politicæ Potestati æquiparet: illa verò,

rò, Poteſtatem & imperium Ieſu Chriſti agnoſcens, Poteſtatem hanc Eccleſiaſticam admittat, & ex ſincero ac ſerio ſalutis ſubditorum deſiderio promoveat; ſeque intra limites authoritatis atque imperii ſui continens, Eccleſiæ Chriſti inviolatam eam & integram manere atque conſervari faciat.

Cap. VI.

In quo ſententia iſta ab Arminianorum criminatione & calumniâ vindicatur.

ARminiani, qui à Remonſtrantiâ Illuſtribus Hollandiæ ac Weſt-friſiæ Ordinibus exhibitâ, quâ contra omnes Eccleſiaſticas cenſuras ab illuſtri ipſorum authoritate defendi petierunt, nomen ſibi fecerunt Remonſtratium, Eccleſiaſticam poteſtatem veriti, utpote quâ integrâ norant ſe voto ſuo, in quinque ſuorum articulorum, aliarumque falſarum opinionum in Eccleſias Belgicas introductione, non potituros; conati ſunt, tum Eccleſiam iſtâ ſuâ poteſtate privare, tum, ſi qua reliqua maneret, eam authoritati Politicæ penitus ſubjicere. Hinc & ſententiam Eccleſiarum Reformatarum, de poteſtate Eccleſiaſticâ à Civili diſtinctâ, eique uon obnoxiâ, abſurditatis,

surditatis, imo & confusionis, quin & Papisticæ arrogantiæ, ac involationis in potestatem civilem accusarunt: & sententiam contrariam, de Authoritate supremi Magistratus in Ecclesia & rebus Ecclesiasticis, inculcarunt acriter, & quantum poterant munierunt. Duo igitur hic nobis veniunt agenda. Primò retundenda ista Arminianorum in sententiam nostram calumnia. Deinde examinanda & refutanda contraria nostræ illorum sententia.

Calumniosa Arminianorum criminatio hæc est, *Quod sententia de utraque potestate jam explicata, potestates illas Collaterales* (ut ipsi loquuntur) faciat, id est, æqualis authoritatis atque jurisdictionis & imperii. Collateralitas enim ipsis dicitur, *Æqualis & æquè excelsa spiritualis & mundani Magistratus potestas.* Sententiam de Collateralitate sic explicat Vtenb. Pag. 18. 19. *Quod, quamvis homines omnes, Spirituales & mundani, tam Pastores Ecclesiæ quam ovium in agris, & summatim quævis animæ, cujuscunque sint status & conditionis, Potestati Magistratuum debeant subesse in rebus civilibus, & vitam temporalem concernentibus, juxta monitum Apostoli Rom.* 13. *cura tamen Religionis, eorumque quæ religioni annexa sunt, & ad Ecclesiam pertinent, proprie competat personis & conventibus Ecclesiasticis: in quibus conventibus Magistratus, si ipsi ita placeat, possit præsens adesse,*

ut

à organismo in primæva hominis integrita-
te. Sed proh dolor! totum genus huma-
num à Deo defecit, debitumque obædien-
tiæ & cultus divini officium negligendo,
vinculum communionis suæ cum Deo ne-
fariè dissolvit. Voluntatis enim Dei su-
blimis, fraudulentæ voci diaboli aurem
fidemque præbuit. Hinc factum quod
regnum illud Dei in homines, & creatu-
ras adeò insignes, detestanda hominis in-
obedientia & rebellione, in regnum Sata-
næ immutatum sit. Quamvis enim homo
cum reliquis creaturis, uti & ipse Diabolus
cum angelis suis, dominio & potestati di-
vinæ, etiam invitus, & sæpenumero inscius,
subesse debeat, præcepto tamen Dei & mo-
nitioni parere recusat. Ita obnoxius qui-
dem est manetque voluntati divinæ decer-
nenti, & cum potentia, vel per potentiam
in omnibus potenter operanti, sine qua n
latum quidem unguem dimovere se pote
attamen jugum voluntatis præcipientis
quod humiliter & mansuetè subire debe-
ret, de collo suo præfractè excussit & ex-
cutit. Diaboli enim, cujus allicio inesca
se permisit, indolem maxima ex parte in-
duit, quin & placitis ejus volens luben
que in omnibus obtemperat. Atque h
causa est cur, quum mundus univer
Deo jure omni subesse debeat, Satan
men in S. literis, *Princeps* non tantum *h*
jus mundi; verum & *Deus seculi hujus*

pelle

..s, & guber-
..bus Magiſtra-
..morem gerere.
.. ſententiam
Reformatis

..njuriam, ſen-
..lligentes, vel
quæ hactenus
..feſtum. Nam
..eformati Ma-
..ccleſieſticum.
niſi Miniſtros
..ii, à Chriſto
Euangelium,
cælorum, at-
..ſia curam ge-

..nt Poteſtatem
..e & Magiſtra-
..perialem, non
.. Paſtoribus &
..ſi qualis pote-
..iniſterio verbi
Agnoſcunt e-
.. & clavium re-
..ejuſque ſpiri-
..dentem, cujus
..ri ſolummodo
.. Magiſtratum
..nt ditione co-
..es verò Eccle-
ſiarum

tius atque Licinius, qui à Constantino victi, profligati, atque interemti, illustre præbuerunt posteris omnibus insaniæ istius exemplum:

Constantinus memor auxilii, in felici illâ expeditione à Christo sibi præstiti, & prædecessorum exemplo prudentior factus, rite judicavit Christo parendum, pro beneficio præstito gratitudinem exhibendam, omnemque suam potestatem in regni Christi promotionem sibi convertendam esse. Quapropter non solum à persequendis fidelibus, evertendaque Christi Ecclesia abstinuit: verum & potestate sua illam defendit, atque ab omni vi externa immunem esse voluit: fana idolorum claudi, oratoria Christianis aperiri, quin & nova eis ædificari jussit, eaque omnia adhibuit quæ ad tranquillitatem externam, decusque Ecclesiæ, ut regni Christi spiritualis, facere videbantur. Tranquillitate sua ac pace spirituali fruebantur Christianorum animi & conscientiæ, etiam in mediis persecutionibus, è vera in Christum fide, ac Spiritus S. solatio: decoreque suo spirituali ornata satis erat, ac fulgebat Ecclesia, à justitia Christi ipsi imputatâ quâ coram Deo justa compareт; & à Spiritus sanctificatione, qua omnem vincit totius mundi splendorem ac gloriam. Sed ne amplius coram mundo, inedia, exilio, vulneribus, rogis, cadaveribus, & similibus squaleret, à

pio

pio ipsi concedebatur imperatore: simul ut Christi in Ecclesia ipsius ministri, in publico securè loquentes, verbum ipsius in cætibus suis tuto & liberè annunciantes, eò commodius ac facilius, remotis obstaculis quibusvis externis, regnum ejus apud quosvis promovere possent. Hinc illis concessum omnes ministerii sui partes obire & verbum prædicare, sacramenta administrare, disciplinam in exorbitantes exercere, & omnia quæ ad cultus divini circumstantias pertinent ad decorem & ordinem in Ecclesiis suis disponere, quasque ante, ab ipsa Christi in cælos ascensione ad id usque tempus, sub variis periculis cum metu objerant functiones, deinceps sine metu tranquille exequi. Hinc etiam factũ quod, cum *Arius* quidam presbyter Alexandrinus, errore suo de Divinitate Iesu Christi filii Dei, turbas in Ecclesiis passim gravissimas excitasset, in communi Ecclesiarum causa, quoslibet, ex omnibus imperii sui regionibus, ecclesiarum Episcopos, utpote Christi ministros, convenire voluerit, ut res illa Ecclesiastica, à viris Ecclesiasticis, in conventu Ecclesiastico, Ecclesiastica potestate judicaretur: ratus nihil admissione, & defensione, ac stabilitione exercitii potestatis illius Ecclesiasticæ, summæ suæ politicæ potestati decedere.

Noverat vir prudens Prædicationem Euangelii, ministerium Christi, & ex eo

natam

natam Ecclesiam, atque in Ecclesia pote-statem istam Ecclesiasticam, in imperium Romanum introducta esse vi majoris ac sublimioris, quam quæ ipsius erat, potestatis. Noverat authorem illorum omnium omnipotenti sua virtute, etiam ipso invito, omnia illa promovere & extendere posse quocunque vellet. Noverat graviter eos peccare qui rebus istis, adeoq; regno Christi illius, opponere se auderent, ac proinde gravem illius iram in se concitare. Cognita ipsi erant horrenda ruinæ & interitus illorum qui se illi opposuerant exempla. Itaque alia via sibi insistendum esse prudenter judicabat: religionem sc. Christianam, Ecclesiamque, cum toto ejus regimine, & omnia quæ eo spectant, admittenda esse in ditiones suas, stabilienda, fovenda, munienda, ac defendenda authoritate sua. Noverat suam qua pollebat authoritatem vigere, non in Ecclesia, quippe quæ regnum Christi est, & regnum spirituale ac æternum, sed extra Ecclesiam in Imperio Romano, quod regnum erat mundanum & temporale. Intelligebat ergo discrimen quod supra docuimus, inter regna mundi externa temporalia, constituta a Deo in regno suo universali in totum genus humanum; & regnum Christi speciale quod est ipsius Ecclesia. Hinc curam, inspectionem, authoritatem competere sibi probè quidem noverat: sed eorum, & in eos, qui extra

Eccle-

Ecclesiam sunt; cura ac inspectione spirituali Ecclesiæ, & eorum qui fidei professione pro Ecclesiæ membris habentur, Pastoribus & inspectoribus Ecclesiasticis relicta. Non ineptè hoc judicavit, cum episcopis quibusdam quos convivio exceperat, facete ad nomen Episcopi alludens, dixit, ut narrat Eusebius lib. 4. de vita ipsius cap. 24. *ὑμεῖς μὲν τῶν εἴσω τῆς ἐκκλησίας, ἐγὼ δὲ τῶν ἐκτὸς ὑπὸ Θεοῦ καθεσταμένος ἐπίσκοπος.* Quod non significat (ut Latinus interpres vertit) *Vos intra Ecclesiam, ego extra Ecclesiam à Deo episcopus constitutus sum*: quasi ipse se Ecclesiæ Episcopum extra Ecclesiam diceret constitutum; quod deinceps aliqui sic explicant, ac si Episcopos Ecclesiasticos in templo diceret Episcopos, se verò extra templum Ecclesiæ Episcopum faceret: sed *Vos quidem estis Episcopi eorum qui in Ecclesia sunt; ego verò eorum qui extra sunt à Deo sum constitutus Episcopus.* Vertimus masculino genere (*Eorum qui*) non neutro (*Eorum quæ:*) homines enim respicit, non res quæ, vel in Ecclesia sunt, vel extra Ecclesiam (ut vir eruditissimus D. Iacobus Revius accuratè & bene observavit.) Dicit autem Constantinus se Episcopum laxiori significatione, prout denotat quemvis qui alicujus rei curam gerit, alludens sc: ad curam & inspectionem eorum qui in Ecclesiis, propter curam & inspectionem quæ animas propriè concernit, peculiari ratione

Episcopi

Episcopi dicuntur, sic ut illud nomen, quod alias per se commune erat, factum sit illis proprium.

Sub isthac pietate ac prudentia magni illius Constantini, duæ illæ potestates aptè inter se consistere possunt, sine alterutrius læsione: & talem Constantini Magni Episcopatum Ecclesiæ reformatæ haud illibenter agnoscent. Hoc enim est quod hactenus diximus, Omnes sc: omnino homines subditos esse Dei in universali ipsius, quod in totum humanum genus habet regno, ut creatoris sui & conservatoris, cui omnes obædire tenentur secundum legem ipsius; & quo omnes omnino, tanquam creaturæ & instrumenta ipsius, diriguntur, sive volentes sive inviti, sive gnari, sive nescii, ad fines ab ipso præstitutos: Sed in regno speciali, quod Deus per Iesum Christum filium suum, in genere humano, prorsus & in totum ab ipso alieno, ac Satanæ mancipato, contra Satanæ regnum erigit, Christi, ut Regis spiritualis, subditos esse omnes in illum credentes. In illo regno universali, ut variæ sunt hominum communitates, ita variæ sunt Respublicæ & Regna, in quibus Deus, ordinis & tranquillitatis causa, Magistratus & Potestates supereminentes constituit. In regno speciali, quod est Ecclesia, per totum orbem dispersa, uti varii sunt cætus Christo auscultantes, ita variæ sunt particulares Ecclesiæ, quibus Christus, conserva-

servationis & promotionis illarum causa, constituit Pastores & Inspectores ut ministros suos. Hinc fit quod qui Pastores & Rectores sunt in regno speciali, subditi sint Magistratuum in regno Dei universali, illorum sc: qui præsunt illis Rebuspublicis in quibus isti habitant, & suo funguntur ministerio: Et vice versa, qui Magistratus sunt in Republica, & aliorum rectores, oves sint in Ecclesia, verbo Dei à Pastoribus Ecclesiasticis pascendæ, & disciplina Ecclesiastica regendæ. Utrosque, tum hos, tum illos, potestate instruxit Deus, sed longè diversa, pro diversitate subjecti circa quod vel hæc vel illa versatur. Magistratuum potestas versatur circa homines simpliciter: Pastorum verò circa illos ut prædicatione Euangelica Christo subjectos. Illa à natura originem trahit, è maritali authoritate, patriâque potestate, naturalique hominum propagatione & consociatione, atque in varias communitates distributione. Hæc à divina gratia superinducitur, ut regnum Satanæ, quod totum humanum genus occupavit, destruat, miserosque homines, peccato & morti obnoxios, in regnum Iesu Christi traducat. Nulla igitur inter illas lis debet esse atque contentio: nulla poterit esse, si hæc, suis limitibus contenta, solam Iesu Christi institutionem sequatur, nec vel Potestatem Politicam sibi rapiat, vel se Politicæ Potestati æquiparet: illa verò,

rò, Potestatem & imperium Iesu Christi aguoscens, Potestatem hanc Ecclesiasticam admittat, & ex sincero ac serio salutis subditorum desiderio promoveat; seque intra limites authoritatis atque imperii sui continens, Ecclesiæ Christi inviolatam eam & integram manere atque conservari faciat.

Cap. VI.

In quo sententia ista ab Arminianorum criminatione & calumniâ vindicatur.

ARminiani, qui à Remonstrantiâ Illustribus Hollandiæ ac West-frisiæ Ordinibus exhibitâ, quâ contra omnes Ecclesiasticas censuras ab illustri ipsorum authoritate defendi petierunt, nomen sibi fecerunt Remonstratium, Ecclesiasticam potestatem veriti, utpote quâ integrâ norant se voto suo, in quinque suorum articulorum, aliarumque falsarum opinionum in Ecclesias Belgicas introductione, non potituros; conati sunt, tum Ecclesiam istâ suâ potestate privare, tum, si qua reliqua maneret, eam authoritati Politicæ penitus subjicere. Hinc & sententiam Ecclesiarum Reformatarum, de potestate Ecclesiasticâ à Civili distincta, eique uon obnoxiâ, absurditatis,

surditatis, imo & confusionis, quin & Papisticæ arrogantiæ, ac involationis in potestatem civilem accusarunt: & sententiam contrariam, de Authoritate supremi Magistratus in Ecclesia & rebus Ecclesiasticis, inculcarunt acriter, & quantum poterant munierunt. Duo igitur hic nobis veniunt agenda. Primò retundenda ista Arminianorum in sententiam nostram calumnia. Deinde examinanda & refutanda contraria nostræ illorum sententia.

Calumniosa Arminianorum criminatio hæc est, *Quod sententia de utraque potestate jam explicata, potestates illas Collaterales* (ut ipsi loquuntur) faciat, id est, æqualis authoritatis atque jurisdictionis & imperii. Collateralitas enim ipsis dicitur, *Æqualis & æquè excelsa spiritualis & mundani Magistratus potestas*. Sententiam de Collateralitate sic explicat Vtenb. Pag. 18. 19. *Quod, quamvis homines omnes, Spirituales & mundani, tam Pastores Ecclesiæ quam ovium in agris, & summatim quævis animæ, cujuscunque sint status & conditionis, Potestati Magistratuum debeant subesse in rebus civilibus, & vitam temporalem concernentibus, juxta monitum Apostoli Rom.* 13. *cura tamen Religionis, eorumque quæ religioni annexa sunt, & ad Ecclesiam pertinent, proprie competat personis & conventibus Ecclesiasticis: in quibus conventibus Magistratus, si ipsi ita placeat, possit præsens adesse,* ut

ut audiat ac videat quid rerum ibi agatur; & si membrum sit Ecclesiæ, data occasione suffragium ferre. Attamen quod Magistratui, quà tali, in rebus Ecclesiasticis aliud nihil competat, quam & ut templa & loca publica ministris Ecclesiæ, ad cultum divinum illic exercendum, aperiat, de alimento illis prospiciat, Idololatriam & hæreses arceat, gladiumque porrò, & coactivam, quam à Deo accepit, potestatem adhibeat ad exequenda ea quæ à personis & conventibus Ecclesiasticis, quà Classicalibus, quà Synodalibus, decreta & statuta sunt: atque hoc quidem totum ex judicio ac declaratione illarum personarum & conventuum Ecclesiasticorum, absque sua, Magistratus si: cognitione & judicio, quia res sint Ecclesiasticæ quæ à Deo Ecclesiasticis proprie commendata sint. Quare & hanc *Collateralitatem* rursum appellat Pag. 30. *Potestatem æqualiter sublimem, distributam inter Magistratum Politicum & Ecclesiam, ut inter duos supremos Magistratus, qui ambo, quamvis circa res diversas versantes, eodem in populo regunt atque imperant summâ cum potestate: ita ut immediatè sub Deo constituti sint in eodem gradu ac potestate, ex unâ parte Magistratus, ex alterâ Pastores & Ministri Ecclesiæ. Magistratibus curanda, administranda, & gubernanda sint mundana & politica (ut vocari solent) in quibus Pastores Ecclesiæ ipsis debeant obedire: Pastoribus verò & ministris*

Ecclesia curanda, administranda, & gubernanda sint Ecclesiastica, in quibus Magistratus ipsis debeant auscultare & morem gerere. Hanc dicunt esse mentem & sententiam Orthodoxorum in Ecclesiis Reformatis belgicis.

Quantam verò illis faciant injuriam, sententiam illorum vel non intelligentes, vel improbè pervertentes, ex iis quæ hactenus explicata sunt potest esse manifestum. Nam

Primò, non agnoscunt Reformati Magistratum spiritualem, vel Ecclesiesticum. Non norunt illi in *Ecclesiâ* nisi Ministros Christi, Ministros Euangelii, à Christo constitutos ad prædicandum Euangelium, administrandas claves regni cælorum, atque ut spiritualem de Ecclesia curam gerant. Quapropter.

Secundò, non agnoscunt Potestatem æqualem Pastorum Ecclesiæ & Magistratuum Politicorum. Non Imperialem, non coactivam tribuunt Ecclesiæ Pastoribus & inspectoribus potestatem, nisi qualis potestas coactiva esse potest in ministerio verbi & disciplinæ Ecclesiasticæ. Agnoscunt enim solam vim verbi divini, & clavium regni cœlorum, à solo Christo ejusque spiritu dimanantem & dependentem, cujus Pastores Ecclesiarum ministri solummodo sunt & instrumenta. Norunt Magistratum posse omnes qui in sua degunt ditione cogere ut sibi subsint: *Pastores verò* Ecclesiarum

siarum & Ministros non posse nec debere ullos cogere ut sibi obediant atque Ecclesiæ se adjungant.

Tertiò, Non volunt, non postulant, ut Magistratus ex solo judicio & pronunciatione Ministrorum & conventuum Ecclesiasticorum, sua utantur coactiva potestate ad executionem eorum quæ à conventibus Ecclesiasticis sint decreta, ita ut Magistratibus de iis cognoscere & judicare non liceat. Discrimen solummodo statuunt inter Ecclesiasticum & Politicum de rebus Ecclesiasticis judicium, ut posteà latius explicabitur. Hoc unicè in votis habent, petunt, postulant, rogant, obsecrant, ut Magistratus Religionem quam publicè exerceri volunt, Ecclesiam quam defendunt, res Ecclesiasticas quas executioni mandari præcipiunt, ritè & penitus cognoscant & intelligant. Nec vel à minimo è plebe cæcam requirunt obædientiam, vel à quoquam agi quidpiam volunt titubante conscientia, tantùm abest ut à Magistratu tale quid postulent. Hoc volunt. Sicut Magistratus cognoscere debet de religione quã in ditione sua doceri publicè & exerceri permittet, quamque authoritate sua muniet: ita Ministris & Inspectoribus Ecclesiæ competere jus ac potestatem judicandi de Religione & doctrina quæ in Ecclesia, quà tali, obtinebit, cum potestate administrandi claves regni cœlorum, quæ utraque potestas

testas à nemine adimi illis possit.

Quartò. Ipse Grotius, tum temporis unus ex summis Arminianorum patronis, in sua Pietatis Ordinum Hollandiæ & West-Frisiæ contra Sibrandum sc: Lubbertum defensione, ab ipso tanquam Fisci advocato conscripta atque edita Anno 1613. pag. 78. sic loquitur, *De sua religione judex est unusquisque: de Ecclesiæ fide ipsa Ecclesia statuit: At de fide Ecclesiæ quæ publica est, nemo jus statuendi habet, præter eum cujus omnia publica sunt in manu & potestate.* Si Grotius de fide Ecclesiæ publica illic loquitur quatenus ea publica est, ut de ea judicium attribuat Magistratui, eandem hîc tradit distinctionem inter judicium Ecclesiasticum & Politicum quam Orthodoxi semper tradiderunt & etiamnum tradunt. Sic autem consideret necesse est istam religionem & fidem quæ publica est, quia alias inepta esset prorsus adjecta ratio. Quandoquidem ergo ipse eandem cum orthodoxis tradit distinctionem, si ea collateralitatem istam in se contineat, etiam ipse Collateralitatem istam defenderit. Ineptum proinde est quod subjicit. *Hoc rectè intellecto concidere vanissimam illam* (Ecclesiasticorum scil: orthodoxorum) *objectionem. Lutheranis nihil præscribitis; nihil Mennonitis: cur ergo Reformatis? Ita* (inquit) *qui loqui volunt, templa deserant; sunt enim publica: stipendia ex ærario petere non debent;*

debent; ærarium enim est publicum: aut si istis publicis frui volunt, ferant & sibi publicitus legem dici. Discrimen enim inter Lutheranos & Mennonitas ex una, Reformatosque ex altera parte, quare illis leges de rebus Ecclesiasticis non dicantur, sed hisce solis, ex eo solo orietur quod illi sua sibi ædificent loca conventibus sacris & Ecclesiasticis idonea, suisque Pastoribus stipendia solvant: hi verò illis è publico fruantur. Ad quod multa dici possent quibus jam ob rationes supersedemus. Hoc unum dicimus quod ad hanc materiam propriè pertinet: quod sc: legibus illis Magistratuum Ecclesiasticis obædiendum sit, vel cæca submissione & fide implicita, vel prævio examine accurato & judicio. Si prius, Vult Grotius illud committi à summis Magistratibus quo orthodoxos, quamvis immeritò, apud illos incessit, & quidem ob solum beneficium templorum & stipendiorum publicorum. Certè nimis vili Magistratus istam emerent potestatem, venderentque Ecclesiarum Pastores & Inspectores libertatē conscientiarum suarum. Si posterius, licebit & ipsis publicis Ecclesiarum reformatarum pastoribus de publicis illis Magistratuum legibus judicare; &, si vel non satis æquas, vel verbo Dei non conformes inveniant, eis contradicere. Expediant se hîc Grotiani & Arminiani si possint. Forte Grotius nihil aliud vult

indi-

indicatum, quam potestatem publicorum templorum, & ærariorum è quibus publica solvuntur stipendia, esse penes solum Magistratum, qui possit ea concedere quibus velit. Si aliud nihil, temerè & nullâ de causa se opponit D. Sibrando & Orthodoxis, utpote qui planè idem sentiunt, de quo post (Deo dante) latius. Si supremis harum regionum Magistratibus visum esset (quod nunquam futurum speramus) templa & stipendia publica, reformatarum Ecclesiarum pastoribus ac inspectoribus, adeoque reformatis Ecclesiis, adimere, aliisque ea concedere, patienter id ferendum esset. Duo tamen isto in casu sunt observanda. Primum, Magistratus sic graviter in Deum & Ecclesiam ipsius peccaturos: qui enim *Ecclesiam Dei tangit, is tangit pupillam oculi ejus.* Zach.2. v.8. Quod nunquam ut fiat Deum ardentibus votis obnixè precamur. Deinde, debere tamen Pastores reformatos, ut Christi & Ecclesiæ ipsius fideles ministros, Ecclesias fidei suæ commissas, verbo Dei & regni cœlorum clavibus. pascere ac regere, optimâ quâ possent ratione: quod nemo, qui aliquâ saltem naturæ religionis & libertatis conscientiarum cognitione imbutus est, negare ausit. Ast unde hoc? Unde (quæso) nisi ex arctiori obligatione, quâ Christo, verboque ejus, & Ecclesiæ obstricti sunt, & è peculiari potestate à Christo rege spiritua-

li, per Ecclesiæ vocationem legitimam, ipsis traditâ? Quare & ipsa Magistratuum nostrorum praxis, & Grotii atque Arminianorum axiomata, theses, atque declarationes, ab istâ calumniâ nos vindicabunt. Magistratus nostri, ut & ipse Grotius æquum esse judicat, nihil, vel Lutheranis, vel Mennonistis, præscribunt in rebus ipsorum Ecclesiasticis. Arminiani summam sibi fieri opinantur & conqueruntur injuriam, quod Magistratus noster supremus prohibuerit conventus ipsorum Ecclesiasticos. Hoc ut evincant, utuntur & ipsi supra indicatà distinctione Grotianâ, in Apologiâ suâ contra Censuram Professorum Leydensium, cap. 25. pag. 304. *Aliud est* (inquiunt) *Magistratui tribuere potestatem coactivam qua ministros constringere possit simpliciter ad docendum aut non docendum quod ipsi rectum videtur. Aliud ei potestatem coactivam tribuere qua Ministros possit constringere ut doceant quod ei rectum videtur in locis templisve publicis. Istam potestatem negant Remonstrantes competere Magistratui. Ad docendum enim, & ad docendum quod rectum Ministris videtur, obligatur conscientia Ministrorum ex lege superioris Domini, id est, ex generali charitatis, & speciali vocationis divina lege, quam refigere magistratus nec potest nec debet. Hanc verò ei plena manu tribuunt. Suarum enim rerum quilibet est dominus.*

Ita manus hac in causa veritati dare coguntur Arminiani, & plane in nostra transire castra. Quia hîc manifestum fit, vel illis ipsis fatentibus, dari res Ecclesiasticas immediatè à Deo & Christo dependentes, in quibus Ecclesiarum ministri, quà tales, Magistratui subjecti non sunt, sed legi superiori vocationis divinæ. Et certè sic fatendum & docendum, nisi exercitia omnia religiosa, omnesque conventus Ecclesiarum sub cruce gementium, usurpationis illegitimæ, perduellionisque in Magistratum condemnare velimus. Hîc ergo planè concidit ista collateralitatis accusatio. Si enim nulla inter Lutheranorum, Mennonitarum, & Arminianorum, conventus Ecclesiasticos ac Magistratum datur collateralitas, nec dari illa potest inter eundem Magistratum & Reformatorum conventus. Templorum usus & stipendiorum publicorum hac in re nihil potest. Ille enim extrinsecus accedit ad res Ecclesiasticas, earumque naturam atque indolem prorsus nihil immutat. Quicquid enim de illis sit vel non sit, sive templa & loca divino cultui dicata sint publica, sicut illa sunt templa quorũ usus Reformatis nunc concessus est; sive sint privata, eo modo ac sensu quo Lutheranorum, Mennonitarum, & Arminianorum templa & oraria privata sunt: sive stipendia petantur ex publico Magistratus ærario, sive ex liberalitate &

 cha-

charitate Ecclesiarum, nihil inde rebus Ecclesiasticis, quà talibus, accedit vel decedit.

Quintò. Supra evidenter demonstravimus discrimen inter Potestatem civilem in regno Dei universali, quod est regnum potentiæ; & Potestatem Ecclesiasticam in regno Dei speciali, quod est regnum gratiæ: quod discrimen illam criminationem planissimè convellit. Unde & sextò dicimus non inveniri hîc potestatē æquè sublimem inter Magistratus & Ministros Ecclesiæ, tanquam inter duas supremas potestates, quæ, quamvis circa diversi generis res versantes, in eodem tamē populo summâ pollent authoritate. Omnia enim hîc, diversa non tantū, sed & prorsus inæqualia reperiuntur.

Sed audiamus quibus rationibus criminationem illam probatum eant Arminiani, & qui cum illis sentiunt. Primò putant eam ex re ipsa, & utriusque potestatis constitutione satis liquere. *Eò quod* sc. *ab una parte Ministri Euangelii, cum reliquis hominibus, debeant se submittere Politico Magistratui, ut Pastori politico & nutritio Ecclesiæ: ab altera autem Magistratus æquè ac subditi, ut oves & membra Ecclesiæ, Ministris & inspectoribus Ecclesiæ ut spiritualibus suis pastoribus subesse.* Wtenb. pag. 19. Sed dicimus illam rationem nullam esse, quia in sua generalitate ambigua est. Adhibeatur distinctio supra data, & discriminis inter hanc illamve potestatem declaratio,

& res

& res plana erit, ipsaque criminatio per se concidet. Quin potius audiamus ipsum Apostolum in Dei verbo loquentem. Nam ille ipse qui Rom. 13. vers. 1. dixit, *Unaquaeque anima supereminenti potestati subjecta esto,* dixit Heb. 13. v, 17. *Obedite praepositis vestris, & obsecundate eis, vigilant enim pro animabus vestris, ut qui rationem sunt reddituri.* Priori dicto omnium animas, etiam Pastorum Ecclesiæ, subjicit potestati politicæ: posteriori omnes fideles, & nomen Christi profitentes, potestati ecclesiasticæ. Velim rogatum adversarios, An & ille Apostolus Pastores, quos vocat fidelium præpositos, æquales fecerit Magistratibus? Si fecit, non est quod Adversarii multis contra collateralitatem istam disputent, Apostolicæ enim obnituntur authoritati: Si non fecit, ut non fecisse novimus, certè nec illa quam Pastoribus & Ecclesiarum inspectoribus tribuimus potestas, cum omnium fidelium sub illâ potestate subjectione, collateralitatem illam invehit. Forte Apostolus solis subditis hoc mandarit, non Magistratibus. Credo, quia illo tempore nulli inter Hebræos, ad quos scribebat Apostolus, Christiani fuere Magistratus. Sed si illa admonitio Magistratus non concernit, aut Magistratus è numero fidelium, è communione Ecclesiæ, excludant; aut ostendant nobis illud discrimen inter fideles qui Magistratu fungun-

tur, & qui illo non funguntur. Sacra saltem scriptura illud non agnoscit. Apostolus enim dicit Gal 2. p. 28. *In Christo Iesu nec Iudæum esse nec Græcum, nec servum nec liberum, nec marem nec fæminam, sed fideles omnes unum esse in Christo*: id est, nihil esse discriminis quoad fidem, pietatem, ac proinde & communionem Ecclesiasticam, pietatisque exercitia & similia, inter Iudæum & Græcum, liberum & servum &c. ac proinde nec inter Magistratum & subditum. Ubi ergo discrimen illud nobis monstrabunt?

Calumniosæ istius criminationis probandæ causa producunt sermones & dicta, variis occasionibus, ab iis qui Ecclesiastico munere funguntur prolata: quæ. Utenbogardus pag. 30. in unum contrahit, caussans, *Quod fermè quotidie, & quandocunque de rebus Ecclesiasticis agitur, aliud nihil penè audiatur quam de Iure, Potestate, Authoritate ac libertate Ecclesiæ; & quod hoc & illud ad magistratum non pertineat, utpote cui non liceat involare in potestatem alterius: quodque tum hi tum illi interdum accusentur violati juris Ecclesiastici, quippe quod ad Politicos transferre voluerint*: & similia. Respondemus 1. Inquirendum esse num sermones illi ita prolati sint, ut quidem ab Utenbogardo referuntur. 2. Explicandæ & expendendæ essent occasiones quibus moti Ecclesiarum Pastores & patroni talia dixerint.

dixerint. Illæ enim & veritatem & æquitatem illorum dictorum haud parum illustrarent. 3. Illi ipsi qui ejusmodi sermonibus usi fuere super illis audiri deberent, ut quo sensu illa dixerint ipsi explicent. Facile enim est alicujus verba, neglectis occasionibus, rationibus, causis, & similibus circumstantiis, in pravum sensum detorquere. 4. Denique & presse ad rem ipsam. Explicent nobis rectè & disertè adversarii quid sit de Ecclesiâ Christi, num illa, ut regnum Christi spirituale, aliquam habeat libertatem & potestatem, & jus aliquod aut privilegium, an verò nullum? Num Christus Ministros suos, quos Ecclesiæ suæ prefecit, potestate aliquâ administrandi claves regni cælorum instruxerit, an verò nulla? Num cura, quā Apostolus commendat senioribus Ecclesiæ Act. 20. v. 28. monens *ut attendant sibi, & toti gregi cui Spiritus S. illos Episcopos dederat, ad pascendam Ecclesiam Dei, quam ipse sanguine suo acquisivit*: Num (inquam) cura illa fundata sit in potestate quadam à Christo illis tradita? Dicant quænam sit causa charitatis, dilectionis, reverentiæ, & obædientiæ, quam Apostolus Pastoribus & Inspectoribus Ecclesiarum vult exhiberi 1. Thess. 5. v. 12. 13. & Heb. 13. v. 17. Si hæc omnia jus aliquod, libertatem, & potestatem arguunt, quid nî de eâ ex verbo Dei loqui liceat? An non licet cuipiam de jure suo, privilegiis, pote-

state, verba facere, petereque ut ea sibi Magistratus authoritate sarta tecta præstentur, & conqueri de iis qui illa sibi authoritate politicâ, vel eripere, vel imminuere conantur, nisi se Magistratui æqualem faciat? Certe nemo unquam insulsiorem orationem audiverit. Ita enim cuilibet omni defensione juris, potestatis, libertatis suæ, omnique apud Magistratum querela interdictum esset. Non licet Magistratui jubere aut imperare parentibus ut filios suos probos exhæredent. Iure enim divino & naturali liberi hæredes sunt bonorum paternorum. Nec tamen parentes propterea æquales habendi Magistratibus. Non licebat Achabo invadere Nabothi vineam, cum tamen Achabus summus esset Magistratus, utpote Rex, & Nabothus subditus. In particularibus quibusvis controversiis & litibus non licet Magistratui agere pro arbitrio, sed tenetur sequi in omnibus justitiæ & æquitatis normam, & unicuique jura sua tuta præstare; nec tamen propterea cadit authoritate sua, aut subditi ipsi exequantur. Hac ratione & ipse Utenbogardus usus est, ut doceat Magistratui non licere in religione quidvis statuere pro arbitrio. Sic enim argumentatur P.66. *Si Magistratui concessum non est in rebus mundanis, temporalem hanc vitam concernentibus, excedere limites æquitatis, justitiæ, & honestatis, vel leges & statuta reipublicæ transilire:*

re: quanto minus ipsi concessum sit in aliquo articulo religionem concernente, quidpiam statuere vel mandare quod verbi divini limites excedat? Pag. 9. dixerat *quod potestas & authoritas, Magistratibus super rebus religionem concernentibus in verbo Dei attributa, intra limites ejusdem verbi semper coarctata maneat, ita ut non nisi juxta tenorem verbi illius usurpari possit aut debeat.* Utrique ergo, & nos, & adversarii, potestatem Magistratus circa res religiosas & Ecclesiasticas cancellis verbi divini coarctamus. Res verò Ecclesiasticas & religionem concernentes, in quas Magistratui potestatem dederit Deus, has esse dicunt. *Primò, Res illas in quibus externus Dei cultus consistit, utpote prædicationem verbi, administrationem sacramentorum, exercitium disciplinæ, & curam pauperum. Secundo eas quæ faciunt ad ordinem in cultu religionis, juxta uniuscujusque regionis conditionem conservandum, ut sunt conventus habere consistoriorum, classium, & Synodorum, & quæ ex iis dependent. Tertio personas Ecclesiasticas, sive Ecclesiastico munere fungentes, sive Ministros & administros rerum ad religionem pertinentium, qui hisce in regionibus solent appellari, Ministri verbi, Seniores, & Diaconi.* Hæ sunt illis res istæ Ecclesiasticæ ad religionem pertinentes. Videndem num de illis omnibus quid certi Deus in verbo suo definierit. Si definivit; definitione ea

constricta est potestas Magistratus, nec licet illi quippiam in illa immutare, vel latum unguem ab illâ discedere. Sed si Deus de illis nihil definivit, vanum est prorsus omne id quod de limitibus, quos transilire Magistratui licitum non sit, hîc garriunt. Inveniri autem de his omnibus limites in verbo Dei ex jam dictis potest esse manifestum, & in sequentibus (Deo dante) latius ostendetur. Vidimus jam officii Magistratus esse ut unicuique jus suum vindicet, in quo tamen is cujus jus tuetur non statuitur ipsi (ut adversarii loquuntur) collateralis; sed exhibet se, muneris sui ratione, justitiæ vindicem: Ita ergo & Magistratus est, Ecclesiæ Dei, vel Pastoribus & Inspectoribus Ecclesiæ, jus suum & potestatem adserere, & potestatem suam integram eis conservare. Ius & potestas Pastorum Ecclesiæ, ut Christi Ministrorum, est verbum Dei prædicare, sacramenta administrare, opiniones de religione falsas refutare, peccata arguere, disciplinam exercere, & Ecclesiam Christi, ratione ipsi convenienti, regere: Ius etiam & potestas Ecclesiæ Christi est, Pastores sibi & inspectores, debito ordine ac modo legitimo, eligere & vocare, ut per eos omnia illa munia, in ipsius ædificationem, promotionem, & confirmationem exerceantur. Officii ergo Magistratus est jus illud Ecclesiæ, Dei, ejusque Pastoribus & inspectoribus, integrum servare.

Audivimus Arminianos in Apologiâ sua cap. 25. dicentes, *Ad docendum, & ad docendum quod rectum Ministris videtur, obligari conscientiam Ministrorum ex lege superioris domini*, id est, *ex generali caritatis, & ex speciali vocationis divina lege, quam refigere Magistratus nec potest nec debet*. Est ergo in vocatione Ministrorum Ecclesiastica (etiam ipsis Arminianis fatentibus) divini quid, quod potestati Magistratus non subest, quodque proinde à Magistratu integrum & inviolatum conservari debet, si quidem ipse potestate sua debite uti volet. Rogamus itaque an id quod Arminiani faciunt, quando amplectuntur & exequuntur vocationem suam &c. politicum sit, an verò Ecclesiasticum? Si Politicum est, sibi tribuunt quod Magistratui est proprium. Si Ecclesiasticum, oportet ergo alterutrum dicant, vel vocationem suam, ejusque exequutionem, esse illegitimam, quippe quam obeunt non consentiente Magistratu: vel res Ecclesiasticas, quà tales, Magistratui obnoxias non esse. Prius dicere non volent, oportet ergo ut dicant hoc posterius. Venditant se sc: pro legitimis Ecclesiarum suarum Pastoribus, conqueruntur que illegitimè se remotos esse: attamen remoti sunt publica supremi Magistratus authoritate. Ponunt itaque hîc Magistratui supremo limites & terminos, intra quos cum se non continet, actio ip-

 sius

sius omnis illegitima sit. Dicunt removeri se debuisse justas ob causas, & consentientibus suis Ecclesiis: hisce conditionibus remotis, censent se authoritati supremi Magistratus cedere non teneri: quia sc: lex superioris domini, lex nempe vocationis ipsorum, & lex charitatis erga Ecclesias, conscientias ipsorum obstringit. Rem quidem hanc causæ suæ malè applicant: (ut alias in scriptis meis belgicis demonstravi) attamen vis veritatis cogit ipsos concedere, imò urgere, eosdem limites hîc à nobis constitutos, quos odioso nomine *collateralitatis* aliàs suspectos reddunt. Velim hoc ritè considerent qui, illorum scriptis & sermonibus fascinati, de jure & potestate Ecclesiæ haud satis bene sentiunt.

Quo fine observanda quoque venit declaratio distinctionis istius quam exhibent in eod. cap. 25. istius Apologiæ fol. 302. b. & 303. a. Verba illorum hæc sunt. *Quando adseritur absurdum non esse ut ministri, non Dei tantum, sed & Magistratus ministri sint, id eo sensu accipiendum non est quasi ministrorum ministerium simpliciter dependeat à Magistratu, ita ut ministris non, nisi ex præscripto & jussu Magistratus, Verbum Dei docere, Sacramenta administrare, & disciplinam Ecclesiasticam, aliasque functiones exercere liceat. Absit. Nam ministri Magistratus ministri sunt, quatenus Magistratus Dei minister est. Quare si judicent in con-*

scien-

scientiæ suæ præscriptum Magistratus non esse Dei præscriptum, sed divinæ voluntati in verbo ejus expressæ repugnans, non modo non possunt, sed & debent, ministerium Magistratui recusare: Oportet enim Deo magis parere quam hominibus, Act. 4. v. 19. *Sed ideo sensu accipiendum est, Quod Ministri, si ministerio publico in templis locisque publicis, quorum dominus est Magistratus, fungi velint, præter aut contra voluntatem Magistratus in locis istis publicis docere aut agere nihil debeant. Alterutrum enim faciendum est: aut parendum est Magistratui, si justa & verbo Dei consentanea in locis istis fieri jubeat: aut, si contraria jubere aut vetare nobis videatur, nullisque rationibus à proposito dimoveri possit, cedendum est locis & functionibus illis publicis, & conscientia Deo integra conservanda est, docendumque ex præscripto Dei seorsim in locis privatis, in quæ Magistratui jus non est; imprimis si sint qui doceri & institui velint.* Huc usque illi.

Ad istam illorum explicationem nonnulla observanda veniunt. 1. Falsum esse quod Ministri verbi divini, sc: quà tales, Ministri non tantum Dei sint sed & Magistratus. Magistratus enim ministri nulla ratione dici possunt. Verbum namque Dei, non Magistratus, sed Dei nomine annunciant; cum nemo præter solum Deum potestatem cuipiam tribuere possit verbum suum

suum annunciandi. Nec quidpiam huc facit verbi prædicatio in locis publicis. Concedit quidem Magistratus ut in locis illis minister pacifice verbum prædicet; verum quod verbum illud, verbum sc: Dei, prædicet, quocunque demum in loco id faciat, id totum fit ex sola authoritate divina. Et hoc ipsum vel ex eo fit manifestissimum, quod minister probus è locis publicis ejectus, in locis tamen privatis verbum Dei docere, & vocationis suæ munia obire debet; quod certè ipsi non incumberet, imò non liceret, si Magistratus esset minister. Quando enim Magistratus ministro suo quid imperat quod iniquum est in rebus civilibus, licet quidem ipsi humaniter recusare obædientiam, potestatem tamen non habet mandatum illud rescindendi, vel pitendi in contrarium. Si Magistratus quispiam summus jubeat innocentem à judicibus ordinariis condemnari, uti ab impia Iesabele factum est in causa Nabothi, oporteret quidem illos detrectare iniquum illud judicium, reum tamen carceri mancipatum authoritate sua, contrarium jubente Principe, è carcere dimittere ei non liceret. Quam ob causam? Negatio quidem illa ipsis esset licita, imò justa & æqua, quia Deo conscientiam suam illibatam servare debent judices: sed in reliquo potestas illis nulla competit, nisi quæ à Principe aut Magistratu summo illis facta est. Unde

planum

planum fit aliam in ministris dari potestatem à Deo & Christo illis factam, cujus ratione Magistratus ministri dici non possint. Quod & ipsi Arminiani in jam allegatis nos docuerunt. Sic fieri non potest quin qui potestatem Ecclesiasticam civili subjicere volunt, disertè sibi contradicant.

2. Cum Magistratum Dei ministrum hîc vocent, & ministros Ecclesiæ non faciant Magistratus ministros nisi quatenus Magistratus Dei minister est, oportet ut fateantur & dicant, Magistratum hac in causa non nisi ministerialem habere potestatem. Ministro enim quà tali nō nisi ministerialis potestas competere potest. Quod etiam vel ex eo fit manifestū, quod ministris verbi divini, vel Ecclesiarum, concedatur potestas recusandi ministerium suum Magistratui, quando is imperat docere aut agere ea quæ verbo Dei sunt repugnantia. Quo concidit architectonica, quam in rebus Ecclesiasticis Magistratui concedunt, potestas. Hæc enim si Magistratui competeret, concedi non posset ministris ministerium suum Magistratui denegare, & ad aliam legem superioris domini provocare. 3. Si ministris non licet in locis publicis, quorum dominus est Magistratus, præter aut contra Magistratus voluntatem docere, aut alia quæ ad munus ipsorum pertinent agere, certè male admodum (ne quid gravius dicam) egere Arminiani, quod tum in foro,

ro, tum in plateis, tum in locis aliis publicis, quà in urbibus, quà in pagis, docere, precari, & alia cultus religiosi opera, vetante & renitente Magistratu, exercere ausi fuerunt. Ita ipsi proprio suo judicio contumaciæ in Magistratum & seditionis convincuntur. 4. Non statim cum Magistratus verbo Dei contraria in locis publicis doceri & fieri jubet, locis illis cedendum est, etiamsi Magistratus à proposito suo dimoveri non possit: sed in statione permanendum, & quod verbo Dei consentaneum animose ac liberè, modestè tamen & sine turbis, docendum agendumque est, donec minister probus ac fidelis vi ejiciatur: atque id quidem faciendum vi legis charitatis generali, & divinæ vocationis speciali, à supremo cæli & terræ domino profecta, quam nulli Magistratui refigere licet. Quod observare est in ipso Christo & Apostolis, aliisque veris Pastoribus & Episcopis Ecclesiarum, fidelissimis Christi ministris ac martyribus.

Denique 5. Patet hîc rursum quod ipsi Arminiani res Ecclesiasticas, prout eæ sunt in se ipsis, cogantur eximere potestati Magistratus; quandoquidem eas Magistratui non subjiciant nisi ex accidenti circumstantiæ cujusdam extraneæ, locorum nempe publicorum. Quod certè jejunum valde est & frivolum. Si enim res illæ per se, in sua indole atque natura, tales sint ut pote-

potestati Magistratus subjici non debeant, externa profecto illa & accidentalis circumstantia naturam earum atque indolem immutare non potest. Sed unum hîc mirari fas est, quod, cum Remonstrantes illi æquum esse dicant ut ministri, qui judicant iniqua & verbo Dei dissentanea à Magistratu sibi mandari, relictis locis & templis publicis, in locis quibusdam privatis, in quæ Magistratui jus esse pernegant, partes functionum suarum exequantur, ut sc: Lutherani, Mennonitæ, & ipsi Arminiani id nunc agunt: quod (inquam) id olim, variis in locis, in quibus ipsi templa occuparant, Ministris orthodoxis concedi noluerint; Magistratum illius temporis, quibuscunque possent rationibus & acerbissimis invectivis, in illos concitantes, ne quo loco, non publico tantum, sed & ne privato quidem, facultas ulla religiosi cultus illis concederetur. Sed sic cum rebus & temporibus istiusmodi hominum mutatur sententia.

Verum non opus est ut ab Arminianis illis vertumnis doceamur, cum Magistratus injusta & verbo Dei contraria publicis in locis doceri & agi mandat, è publicis illis locis concedendum potius esse in loca privata, quam conscientiam aliqua ex parte contaminandam: Id enim norant & observabant orthodoxi sub Arminianorum tumultibus & persecutionibus. Imò id diu

diu ante observarant pii & fideles Christi ministri, in sua responsione ad Remonstrantiam Magistratus cujusdam Ecclesiis haud admodum æqui, conscripta in Synodo Provinciali totius Hollandiæ, habita Harlemi anno millesimo quingentesimo octuagesimo secundo, Ordinibusque Hollandiæ exhibita, & post typis excusa ac publico data, ubi sic loquuntur. *Declaramus nos aliud nihil postulare, quam ut regimen Ecclesiasticum (sicut spirituale est) ita integrum & indivisum penes Pastores & Inspectores Ecclesiarum maneat: & ne viris Politicis, quin & iis qui satis profitentur se religionem reformatam amplexos non esse, via sternatur ad iniquam jurisdictionem & dominationem in Ecclesiam; cui æquè gravaremur nos subjicere atque Papisticæ tyrannidi, satius habentes rursus in abditum nos recipere, ut libera conscientia fruamur eo quod Anabaptistis in falsa eorum religione non denegatur.*

CAP. VII.

In quo examinatur Subordinatio quæ fingitur Potestatis Ecclesiasticæ sub Politicâ.

VIdimus quo modo Politica potestas & Ecclesiastica juxta se mutuo stare possint

sint sine utriusque læsione, sententiamque nostram ab adversariorum calumniâ vindicavimus. Sequitur ut sententiam nostræ contrariam examinemus, quò clarius pateat à quâ parte, cum causæ æquitate, stet veritas. Putant adversarii, non posse simul consistere duas illas potestates, nisi altera alteri subordinetur: Et quia meritò exploditur subordinatio Politicæ potestatis sub Ecclesiasticâ quam introduxit Papatus, debere è contrario Ecclesiasticam potestatem subordinari Politicæ. Ut autem res ea melius intelligatur, videndum quid de eâ *Grotius*, & præcipuè *Vtenbogardus* scripserit in libro suo de *Authoritate supremi Christiani Magistratus in rebus Ecclesiasticis*, edito anno 1610. Ad illum enim non ita pridem hac in causa provocarunt Arminiani, vel omnes, vel plerique, in Apologiâ sua contra Professores Theologos Leydenses, ubi foli 299. verso dicunt, *Controversiæ statum à Iohanne Vtenbogardo optimè fuisse formatum: & tria illa capita, quæ D. VValæus de Officio Ministrorum Ecclesiæ tractat, aliò non spectare quam ad illum obscurandum & tegendum.* Ne ergo alium hîc nobis controversiæ statum fingamus, agite ipsum Utenbogardum, suam suorumque mentem nostræ oppositam exponentem, audiamus. Pag. igitur libri istius 33., postquam dixisset dari potestates & officia sibi mutuo subordinata, & in schemate quo-

quodam Cæsarem, id est, Supremum Magistratum, posuisset inter Dei verbum & Ministros Ecclesiæ, Verbum scil: Dei loco supremo, Cæsarem medio, & ministros Ecclesiarum infimo: sententiam suam suorumque, schemate illo quasi in tabella ob oculos positam, sic explicat. *Sentio* (inquit) *supremum Magistratum à Deo constitutum esse ad utrumque, & id quod Ecclesiasticum, & id quod Politicum est, procurandum; eundemque id quod Spirituale est administrari facere per Ministros verbi divini: Ministros etiam verbi divini, illud administrantes juxta Dei mandatum, administratione illâ suâ fungi ex præcepto Magistratus sui, quippe qui munus illud, vice ac nomine Dei, & juxta ipsius verbum, illis imposuerit, ut verbum Dei tam Magistratibus quam subditis annuncient, quo ipso summus ille Magistratus se Deo, & prædictis illis Ministris, (in quantum Dei verbum docent) subjecit. Eodem sc: modo quo Trajanus Romanorum Imperator vicario suo gladium in manus dedit, non tantum pro se, sed & contra se, usurpandum, si qua in re delinqueret. Et quo modo probi Principes se justitiæ, id est, potestati judiciali, submittunt, etiamsi illorum nomine, (utpote qui à Deo ad id constituti sunt) ea exerceatur; quandoquidem ipsi munia illa constituunt & ordinant, supremamque in ea inspectionē semper obtinent.*

Pagina

Pagina verò 64. 65. de hac materia sic loquitur. *Multi putarunt, quia res Ecclesiastica & Politica adeo multum inter se differunt, sibique invicem adeo sunt dissimiles, debere etiam à diversis, tum has, tum illas, administrari.* Rogat, *Quo modo? An in potestate & gradu summo, ita ut alter alteri non subsit, & administratio utraque non fiat nomine eodem, non tantum Dei, sed etiam humani Magistratus, vice & jussu Dei?* Respondet, *Nequaquam hoc ita esse, quia hoc plane ἄτοπον sit & absurdum.* Dicit ergo *utramque administrationem, tam Ecclesiasticam, quam Politicam, fieri uno eodemque nomine, Dei non tantum, sed & humani Magistratus: ac proinde divinæ non tantum, verum & humanæ authoritatis.* Rationem dicti istius hanc dat. *Quod quamvis multa in mundo sint gubernanda, singulaque singularem suam administrationem, peculiaresque administratores, requirant, suprema tamen potestas multiplicari in se non possit. Multa quidem* (inquit) *sunt metienda, sed omnia eadem mensura: multa libranda, ponderanda, sed pondo eodem. Leges dari debent de justitiæ administratione & judiciis, de moneta, de censu, vectigalibus & quæstura, de politica gubernatione reipublica, de bello, de navigatione maritima, de conjugio, de scholis & similibus. At propterea opus non est diversis legislatoribus. Vnus supremus Magistratus debet omne id, non dico*

dico adminiſtrare, ſed diſponere, ſtatuere, ordinare, regere, & gubernare, ſingulis adhibens adminiſtratores illis idoneos, quos etiam audit & conſulit, eoque fine in unum cogit, ut nihil temere, ſed maturo conſilio, & re bene deliberata ſingula peragat. Quid ni (inquit) *etiam in rebus* Eccleſiaſticis? *Si idem ſupremus Magiſtratus reſpectu juſtitiæ judex eſt, reſpectu politiæ politicus, reſpectu belli* πολεμικὸς *militaris, reſpectu navigationis architalaſſus, reſpectu ſcholarum ſcholaſticus; quid ni etiam reſpectu Eccleſiæ ſit eccleſiaſticus?* Sic ergo Eccleſiaſtica, ſimul cum Politicis, ſub eodem ſummo Magiſtratu humano, inter homines eodem modo conſtituuntur: ac proinde tam Eccleſiaſtica, quam Politica, poteſtati politicæ, ſcilicet ſupremæ, ipſis ſunt ſubordinata.

Hæc ſubordinatio Eccleſiaſticæ poteſtatis ſub Politica varia ſecum trahit incommoda. Nam primò, Regnum Chriſti ſpirituale, quod eſt Eccleſia, ſubordinatione iſta ejuſdem redditur naturæ atque indolis cum regnis mundanis. Omnia enim officia & munera politica, in regnis & rebuſpublicis mundi, ejuſdem ſunt naturæ, & conditionis cum iſtis ſuis regnis & rebuſpublicis. Si ergo munia Eccleſiaſtica, cum illis officiis politicis, in eodem gradu & ordine ſub eodem ſummo regnorum vel rerumpublicarum Magiſtratu ſint collocanda, neceſſariò ſtatuendum Eccleſiam

ejuſdem

ejusdem esse conditionis cum regnis & rebuspublicis mundanis: quo absurdius nihil cogitari potest.

Secundò, Vi istius subordinationis oportet ut Christus in regno suo spirituali habeat vicarium & proregem, supremum sc: in terris Magistratum, qui, ipsius nomine ac vice, publica authoritate & potestate coactiva, res Ecclesiæ disponat, constituat, ac gubernet. Quod nihil aliud est quam novum quendam Pontificem confingere & visibile caput Ecclesiæ, Politicum sc: loco Ecclesiastici. Pontifex enim inter Christianos, sive Papa, & caput Ecclesiæ Christi visibile, nihil est aliud quam homo mortalis in terris residens, qui, sub Christo capite Ecclesiæ invisibili ac spirituali, externa cum potestate, & supremo in terris dominio, res Ecclesiæ disponit ac gubernat. Tantò autem deterius se res haberent cum Pontifice hoc Politico quam cum Papa Ecclesiastico, quod Papa Ecclesiasticus propriè & directè gerere dicatur solas claves regni cœlorum, sive gladium spiritualem; & tantum indirectè gladium temporalem; quem propriè & directè relinquat magistratibus politicis: hic verò Pontifex politicus, juxta subordinationem istam, utrumque gladium, tam Ecclesiasticum, quam Politicum, directè teneret, sive æquè polleret utraque potestate. Quare hic posset à supremo Magistratu jure merito usur-

pari

pari arrogantissimum & impudentissimum Bonifacii octavi dictum, *Ecce hîc duo gladii.*

Tertiò, Ex subordinatione ista necessariò sequeretur tam multa dari Ecclesiæ visibilia capita, supremos Ecclesiæ Monarchas, Christi vicarios atque proreges, ac consequenter tam multos Papas Politicos, quot per totum terrarum orbem dantur Magistratus supremi: vel saltem, quia dicunt se loqui tantum de Christianis Magistratibus, quot dantur in orbe Christiano. Quilibet enim Rex aut Princeps supremus, aut summus in republica Senatus, debebit haberi pro supremo gubernatore Ecclesiæ in terris. Hoc autem plane inconcinnum esse res ipsa dictat. Tota enim Christi Ecclesia per totum terrarum orbem dispersa, ut unum unicum regnum, eodem Dei verbo, iisdem legibus, ejusdem spiritus communione, inter se devinctum, unicum tantum agnoscit caput & regem spiritualem.

Idem hoc in Censura sua ad Arminianorum Confessionem, vel fidei Declarationem, observaverunt D. D. Professores Leydenses cap. 25. ostendentes ex Arminianorum sententia, qua supremo Magistratui, immediatè sub Christo, architectonicam in rebus Ecclesiasticis tribuunt potestatem, necessariò sequi *tot fore Papas, loco unius Papæ, quot sunt supremi Magistratus.* Miseri

seri Arminiani Apologiæ suæ fol. 303. nihil habent quod respondeant, quam quod *hac ratio contra censorem militabit, si retorqueatur in hunc modum: Si ministri immediate sub Christo potestatem architectonicam regendi Ecclesiam habent, tum loco unius Papæ tot erunt Papæ quot ministri aut ministrorum Synodi: verbi gratia, Calvinistæ, Lutherani, Anabaptistæ, Ariani, Samosateniani, Brunistæ, Puritani, &c. singuli in suis Ecclesiis Papæ erunt.* Rogo quare non addant se Arminianos Socinizantes? Nam & ipsi suos habent peculiares conventus ab aliis separatos, ut Christianam Rempublicam, nimium, proh dolor! divisam, quam se unituros præ se ferre solent, magis adhuc dividerent. Sed ad rem. Retorqueant isto modo rationem illam, se tangent, & omnes illas sectas ipsis similes; nos autem minimè lædent. Nam nos non damus Ministris immediatè sub Christo architectonicam illam potestatem: quod in sequentibus docebimus evidentissimè. Certè si eam illis daremus, tot daremus Papas quot, vel Ministri sunt, vel ministrorum Synodi. Quia verò illi potestatem istam architectonicam immediatè sub Christo tribuunt supremo Magistratui, manet nostrum, & D. D. Professorum argumentum, tot sc: ab illis Papas constitui quot sunt supremi Magistratus. Retorsio autem illa tangit omnes sectas extra

templa & loca publica, & simul ipsos quoque Arminianos. Nam potestatem illam architectonicam immediate sub Christo, Magistratui supremo tribuunt in illas solas Ecclesias quæ publicis utuntur templis, & publicis fruuntur stipendiis: reliquas omnes, quæ sibi oraria vel loca conventibus idonea fabricant, & ministris suis stipendia solvunt, ab illa Magistratus supremi potestate architectonica immunes habent. Illæ ergo omnes, & illarum Ministri, potestatem in rebus suis Ecclesiasticis habent architectonicam immediatè sub Christo. Ergo tot sunt Papæ, quot sunt ministrorum Lutheranorum, Anabaptisticorum, Arrianorum, Samosatenianorum, Brounistarum, Puritanorum, & Arminianorum Synodi. Addunt solam Petri Martyris authoritatem, qui in 8. caput 1. Sam. pag. 50. sic loquitur. *Atque hoc fortasse est quod Rex Angliæ voluit se secundum Christum appellari caput Ecclesiæ suæ. Putavit enim eam potestatem quam sibi Papa usurpaverat, suam esse, & in regno suo ad se pertinere.* Quare *ex sententia Martyris* (inquiunt Arminiani) *tot erunt Papæ quot Reges Principesque.* Sed 1. jejuna & frigida est unius solius in tanta causa authoritas. Etiamsi Martyr adeo inconcinnè loquutus esset, ut ex ipsius verbis tale quid posset concludi, an illius solius authoritate tam inepta deberet admitti sententia, aut Arminiano-

rum

rum sententia illo incommodo liberari? 2. Considerandum & id quod ex præfatione ad illa Martyris commentaria rectè protulit D. Revius, sc: sex tantum capita istorum commentariorum ab ipso authore fuisse recognita, reliqua ipso legente ab amicis fuisse excepta, quæ etsi magna ex parte postea ab ipso lecta sint, editioni tamen publicæ non fuere parata. 3. Falsum est quod Arminiani dicunt, (sc:) *Martyrem non dubitare affirmare, Regem quemlibet in suo regno eandem potestatem circa externum Ecclesiæ regimen habere quam Papa sibi hactenus injustè usurpavit.* Martyr enim id nequaquam affirmat: solummodo refert quid Rex Angliæ voluerit, & quo sensu id fortè voluerit, quidque putarit in regno suo ad se pertinere. Quod certè longè est aliud, quam quod Arminiani dicunt illum affirmasse. Itaque injuriam faciunt viro præstantissimo. 4. Martyr non probat istum Regis Angliæ titulum, sed explicat quo sensu putet Regem illum sibi tribui voluisse. Sic enim statim post verba supra allegata loquitur; *Insolens quidem erat titulus, & multis piis displicuit: Sed si rem ipsam consideremus, nihil aliud voluit quam quod iam diximus.* Quidnam verò illud sit infra cap. 12. indicabimus: ubi docebitur quo pacto sententia D. Martyris cum nostra haud incommodè conciliari possit. Plura autem ad hanc rem spectantia videantur

apud jam laudatum D. Iacobum Revium de isto titulo accuratè annotata.

Quartò. Ista subordinatio supremo Magistratui necessariò tribuit eandem authoritatem in rebus Ecclesiasticis & spiritualibus quam habet in Politicis & mundanis: ita ut eâdem authoritate possit leges dare de rebus Ecclesiasticis, easque figere, refigere, ampliare, minuere, &c. qua leges dat de rebus Politicis, easque figit & refigit, extendit & contrahit, prout judicat statui suo ac populi sui commodo convenire. Quod plane absurdum esse, & alienum ab immotâ, quam verbum Dei de rebus religionis tradit, regulâ, quilibet cui sanum est sinciput facile judicabit.

Quintò, Ad ea omnia quæ propriè & directè supremo Magistratui subjecta sunt observanda possunt subditi ex ipsius authoritate & potestate coactiva, mulctis, carceribus, pænis corporalibus, & similibus cogi. Revera si res Ecclesiasticæ eodem modo atque politicæ supremi Magistratus potestati subjecta sunt, poterit etiam supremus Magistratus simili modo cogere subditos suos ad eas leges observandas, quas ipsi de Religione, & de rebus Ecclesiasticis, ferre visum fuerit. Hoc Arminianorum præcipuos patronos ita ex illorum instinctu sensisse, ex eo videtur colligi, quod Ministris Ecclesiarum Reformatarum formulas docendi præscribere conati fue-

ti fuerunt; carceres, exilia, depositionem à ministerio, & ejusmodi alia intentantes iis qui conciones suas juxta illarum normam componere recusarent. Nec juvabit illos si dicant, Vim illam coactivam non extendi ultra ministerium publicum, illosque qui eo publicè frui volent. Nam 1. Eos qui formulis illis constringi se non patiebantur, non tantum è publico, ubi potestas ipsorum vigebat, removebant, sed & omni etiam privato, id est, in locis privatis religionis exercitio privabant. 2. Supremus Magistratus leges suas de rebus politicis omnibus suis subditis præscribit, omnesque ad earum observationem cogere potest. Quare exceptio ista, vel discrimen hîc statuere debet inter rerum Ecclesiasticarum & Politicarum subjectionem sub authoritate supremi Magistratus; vel eos qui publico ministerio uti ac frui non appetunt non habere pro supremi Magistratus subditis.

Sextò igitur, Quandoquidem supremus Magistratus parem habet in omnes suos subditos de rebus politicis statuendi potestatem, si eadem sit ipsi potestas statuendi de rebus Ecclesiasticis, non minus licebit ipsi leges dare Lutheranis, Mennonitis, Arminianis, & similibus, ad quas componant res Ecclesiarum suarum, quam Reformatis quos in publicum admittunt. Quod tamē cum supremo nostro Magistratui non

rtibuant, dicendum: vel disparem esse rerum ecclesiasticarum & politicarum conditionem: vel diversos dari, diversæque sortis & conditionis, summi nostri Magistratus subditos, adeoque respublicas separatas dari in Republicâ nostrâ.

Septimò, In rebus politicis, utpote quæ directè Magistratui supremo subsunt, agere nihil licet nisi, vel ex lege, vel ex consensu & permissione Magistratus. Si ita comparatum est cum rebus Ecclesiasticis, uti comparatum esse debet si paris sint conditionis cum rebus politicis, quicquid Ecclesiæ Christi sub cruce gementes, sive tribus primis seculis, sub persecutionibus ethnicorum, sive temporibus Arianorum in oriente, sive hoc postremo reformationis tempore, non consentientibus, imo refragantibus, & prohibentibus supremis Magistratibus, egerunt, id omne illegitimum, & seditionis plenum, censendum erit.

Octavò, Quando quis in regno aut republica, sine supremi Magistratus mandato, sibi sumit vel potestatem judicandi, vel quæsturam, vel præfecturam maris, vel aliud simile munus Politicum, ille, ut involans in supremi Magistratus potestatem, eamque sibi arrogans, reus censetur Criminis læsæ Majestatis, aut perduellionis, eoque nomine meritò morte plectitur. Si res ita se habet in rebus Ecclesiasticis (en quò tandem simus delapsuri) nec Apostoli,

nec

nec Euangelistæ, nec ulli Pastores aut Doctores Ecclesiarum, ad functionem Ecclesiasticam à supremo Magistratu non admissi, non vocati, à læsæ majestatis crimine absolvi non poterunt: & quotquot eorum, vel tormentis excruciati, vel morte affecti fuere, dignas seditionis & perduellionis pænas subiisse dicendi erunt.

Nonò; Cum Iudex subalternus, aut quæstor, aut militum præfectus, commissariusve (ut loquuntur) aut alius quispiam politicus minister, mandato supremi Magistratus munere suo abdicatus est, ille ab exercitio muneris istius porrò abstinere tenetur, nisi inobedientiæ in supremam potestatem, & perturbationis reipublicæ reus haberi velit. Fac res & munia ecclesiastica ejusdem ordinis, & approbabis omnia interdicta Magistratuum infidelium in religionem Christianam, functionesque omnes Ecclesiasticas, illis invitis obitas, illegitimæ usurpationis condemnabis.

Decimò, Officiarii, Commissarii, Secretarii, Quæstores, omnesque rerum politicarum ministri, commissionem suam & instructionem (ut vocant) id est, formam ac modum administrandi muneris sui, accipiunt à Magistratu suo, neque limites ab eo præfixos vel minimum transgredi illis licet. Si ergo res & ministeria Ecclesiastica cum illis pari modo supremo Magistratui sint subjecta, quotquot unquam fuerunt,

runt, & adhuc sunt ministri Ecclesiastici, debuerunt, debentque administrationis suæ normam à solo Magistratu supremo accipere, & ad illius præscriptum integram functionis suæ rationem componere.

Undecimò, Summus Magistratus in regno aut republicâ suâ constituit pro arbitrio quos vult rerum politicarum ministros, ita ut nemini eâ in parte contradicere ipsi liceat. Idem ergo, ex ista subordinatione, licebit supremo Magistratui in Ecclesia, ut in ea pro arbitrio ministros constituat Ecclesiasticos. Quare Ieroboam filius Nebat Rex Israelitarum non peccarit, quando, præterita tribu Levi, constituit è minimis ex plebe sacerdotes quos vellet, pro authoritate scil: sua regia. 1. Reg. 12. vers. 31.

Duodecimò, Nemini licet in alterius ditione Leges ferre, ministros rerum gerendarum constituere, militem conscribere, &c. nisi consensu illius penes quem in ista ditione est imperium. Sic judica ex ista subordinatione de rebus Ecclesiasticis, & non licuerit Christo regnum suum spirituale, quod est Ecclesia, & Euangelii sui vexillum in regnis mundi hujus erigere, ministros suos ordinare, & ad illud erigendum ac propagandum mittere, non milites suos spirituales contra Satanam & mundum colligere, non eis præcepta dare: nec his ipsius ministris ac militibus præcepta

pta ejus exequi, nisi annuente & consentiente singulorum regnorum & rerumpublicarum supremo Magistratu.

Denique potest Magistratus supremus, quandocunque ipsi placet, officia omnia politica ipse obire, ipse potest judicio præesse, & de rebus in litem vocatis pronunciare, exercitū ducere, classem maritimam regere, jubere sibi ut census numeretur, &c. nisi quædam istorum vel ipsi molesta nimis sint vel vilia. Subordinentur ipsi eodem modo res Ecclesiasticæ, & licebit ipsi omnia munia Ecclesiastica obire, verbum Dei docere, Sacramenta administrare, &c. nisi à quibusdam, quæ molestiora sunt & viliora, abstinere ipse velit, aliisque ea demandare. Usiæ igitur, ut Regi ac supremo Magistratui, licuerit in templo suffire, arrogareque sibi munus sacerdotale: Cujus tamen contrarium patet 2. Paral. 26. vers. 16.17.18. Hæc & similia incommoda necessariò importat ista subordinatio. Viros se præstabunt subordinatores illi, si illa à sententia ista sua amoliri queant. Quapropter ineptivit non tantùm Utenbogardus, sed &, affectibus suis planè occæcatus, insanivit, cum istam subordinationem confinxit: & insaniunt cum illo etiamnum omnes Arminiani, cum in sua Apologia rem istam ab Utenbogardo bene explicatam, & statum controversiæ ritè ab ipso expositum pronunciant.

Cap. VIII.

In quo duæ Subordinatorum exceptiones expenduntur.

VT subordinatio ista à jam ostensis liberetur incommodis, duo excipi solent. Prius desumitur à distinctione rerum quæ Magistratui subjiciuntur: alterum à distinctione Magistratus cui illæ subjiciuntur. *Quod prius attinet, res scil: Ecclesiasticas quæ, ipsorum judicio, Magistratui supremo subjectæ sunt, triplicem cum Pontificiis, & cum Theologis Anglis (ut ipsi quidem prætendunt) distinguunt potestatem, quarum prima sit *Ordinis*, altera *Iurisdictionis interioris*, tertia *Iurisdictionis exterioris*. Sic Remonstrantes Apol. cap. 25. Fol. 299. verso, ubi nos remittunt ad Martinum Becanum, de Primatu Regis circa principium. Controversiam inter Pontificios & Theologos Anglos de potestate Ecclesiastica, quam Angli Regi suo assertam, Pontificii verò Papæ conservatam volunt, *non de utraque priori potestate esse dicunt, sed de sola postrema*. Itaque Angli, cum quibus se sentire hi subordinatores dicunt, Potestatem non *Ordinis*, nec *Iurisdictionis interioris*, sed tantum Iurisdictionis exterioris, Regi suo tributam volunt. Controversiam Anglorum cum Pontificiis

super

super re ista nostram non facimus. Nos enim, nec cum Pontificiis sentimus, nec ut sententiam nostram de sententia Theologorum Anglorum dicamus necesse habemus. Cum nostratibus hic nobis negotium est: quare quæstionem quam hi nobis hac in causa moverunt consideramus, & quod ipsi sentire se profitentur examini subjicimus. Sufficit ergo nobis quod ipsi dicant se potestatem Ecclesiasticam Iurisdictionis exterioris Magistratui supremo adsignare.

Becanus, ad quem nos mittunt, ad potestatem Jurisdictionis exterioris refert, *Synodum convocare & in ea præsidere, constitutiones condere, causas audire & cognoscere, controversias dirimere, beneficia conferre, ministros Ecclesiæ constituere, delinquentes excommunicare. Vno verbo omnium causarum & controversiarum, quæ ad fidem & religionem pertinent, judicem agere.* Utenbogardus, qui hîc statum controversiæ rectè dicitur expressisse, res Ecclesiasticas religionem concernentes, de quibus in hac controversia agitur, has esse dicit, Pag. 9. *Primò eas in quibus externus Dei cultus consistit, ut sunt, Prædicatio verbi, Administratio sacramentorum, Disciplinæ exercitium & Cura pauperum: Deinde ea quæ faciunt ad ordinem debitum in exercitio cultus divini observandum, secundum cujusque regionis conditionem,* ut sunt, *Conventus*

Consistoriales, Classicales, & Synodales: Tertiò personas Ecclesiasticas, sive quæ muneribus Ecclesiasticis funguntur, id est, res ad religionem pertinentes administrant, quæ, juxta morem & consuetudinem harum regionum, dicuntur Ministri verbi, Seniores & Diaconi: illasque hîc vult considerari, non tantum ut cives sunt, & incolæ harum regionum, subditique Magistratus, verum etiam ut ministeriis illis atque muneribus funguntur. Ut verò inter res externas & internas discrimen se statuere indicet, hæc addit. *Loquor disertè de cultu divino externo. In cultum enim internum jus & potestatem vindicat sibi Deus, ut qui solus quod intrinsecum est regit, scrutatorque est cordium & renum.* Hinc planum est de quibusnam rebus Ecclesiasticis loquantur Subordinatores, quasve sub potestate supremi Magistratus collocent.

Sed hanc rerum Ecclesiasticarum definitionem, judicium nostrum de incommodis, illorum sententiam sequentibus, stabilire dicimus, nedum ut incommoda illa amoliatur. Hisce enim rebus Ecclesiasticis juxta Politicas sub potestate supremi Magistratus positis, debebit prtmum, Verbum Dei eo sensu populo prædicari, & Ecclesiis, explicari, quo supremo Magistratui visum erit: etiam Sacramenta administrari, & Disciplina Ecclesiastica exerceri, ad nutum & præscriptum supremi Magistratus.

Secundò

Secundò nulli poterunt conventus Ecclesiastici haberi, nisi annuente & consentiente supremo Magistratu, & secundum normam ab illo præfigendam. Quicunque ergo illo non consentiente habebuntur, quicunque non procedent in negotiis & causis ibi examinandis juxta ordinem & leges à Magistratu præscriptas, aliave tractaverint quam Magistratus illic tractari, aut jusserit, aut permiserit, erunt omnes illegitimi & seditionis accusandi. Tertiò, nulli in Ecclesiis agnoscendi erunt pro rerum Ecclesiasticarum administris, nisi quos Magistratus illis præficere volet: nec licebit illis quidpiam, aut agere, aut tentare, nisi ex Magistratus præscripto. Ita munera Ecclesiastica omnia mutabuntur in politica, & ministri Ecclesiarum posthac, non Christi, sed Magistratus ministri erunt existimandi. Unde jam evidentissimè omnia illa quæ ante ostendimus sequuntur incommoda.

Quod ut pateat illustrius, arctiusque constringantur, & de ineptiis suis convincantur adversarii, eadem argumentandi ratione illos prememus, qua illi sententiam nostram adoriuntur, absurdique convincere conantur. Apol. cap. 25. fol. 299. verso & 300. hanc nobis affingunt opinionem. *Architectonicam potestatem regendi Ecclesiam immediatè sub Christo competere ministris Ecclesiæ, non autem Magistratui Christiano.* Sed affingunt (dico) nobis opi-

nionem

nionem illam. Architectonica enim potestas talis est qualem, & nos, & adversarii, Magistratui supremo adscribimus in rebus merè politicis. Talem architectonicam potestatem regendi Ecclesiam, nec ministris Ecclesiæ, nec etiam Magistratui, quamvis Christiano, adscribimus, ut jam manifestum esse potest ex iis quæ hactenus sunt tradita, & in sequentibus latius demonstrabitur. Verè ergo quidem dicunt nos illam potestatem Magistratui Christiano non adscribere: falsò autem nos eam adscribere ministris Ecclesiæ. Sed illi potestatem istam architectonicam regendi Ecclesiam Magistratui Christiano verè & disertè attribuunt, eamque illi debere attribui quam maximè urgent. Iam ergo omnes sequelas, quas illi ex nostra sententia falsò deducunt, nos ex illorum opinione, nomine solum ministrorum in nomen Magistratus Christiani immutato, verè deducemus, & quidem ipsissimis illorum verbis, sola quam nunc dixi observata mutatione.

Hæc est Subordinatorum sententia. *Architectonicam potestatem regendi Ecclesiam immediatè sub Christo competere Magistratui Christiano.*

Hinc immediatè sequitur, *Supremum atque architectonicum judicium de iis quæ pertinent ad externum Ecclesiæ regimen, immediate sub Christo competere* Magistratui Christiano. *Consequentiæ ratio per se patet:*

Supre-

Supremum enim regimen sine supremo judicio supremum regimen non est: Qui enim judicia aliorum sequi tenetur is non regit, sed regitur, adeoque mancipium & servus est judicantium.

Hoc posito sequitur immediatè, Universam authoritatem, inspectionem, curam, & directionem, quæ ministris & Pastoribus *in verbo Dei tribuitur, dependere à judicio* Magistratus Christiani, *tanquam à judicio summi tribunalis, & supremæ curiæ, à qua provocatio non datur.*

Ex eo autem deinde immediatè hæc sequuntur. 1. Ministros Ecclesiæ, *non indirectè tantum, sed directè etiam obligari ad sequendum judicium* Magistratus Christiani, *in vocatione, promotione, correctione, exautoratione, punitione, coercitione, &c. pastorum, aliorumque Ecclesiæ subditorum; in convocatione & celebratione Classium, Synodorum, &c.* 2. Ministrorum Ecclesiæ *esse decreta omnia* Magistratus, *quæ ad publicum Ecclesiæ regimen pertinent, ministerio suo sancire ac stabilire, contra omnes dissentientes ac reluctantes,* eaque Ecclesiæ inculcare; *atque ut ipsi ea observare tenentur, ita omnes tergiversantes* Ecclesiastica disciplina *coercere.* 3. *Subditos & membra Ecclesiæ non obligari ad parendum* statutis Pastorum & Inspectorum in conventibus Ecclesiasticis, *si quid statuant aut decernant contra judicium* Magistratus *in rebus ad regi-*

men Ecclesiæ pertinentibus : *imò obligari ad non parendum*. *Breviter*, Ministrorum Ecclesiæ *esse statutis decretisque* Magistratus Christiani *parere ac servire*, *sententias latas approbare*, *& exequi*, *lictoris aut carnificis instar*, *aut*, *si malis*, *famuli ac mancipii instar*. Agnoscunt (credo) Remonstrantes sua ipsorum verba: hoc tantum discrimine, quod, quæ illi perperam ex nostra sententia statutis & decretis ministrorum accommodant, nos rectè ex illorum sententia statutis & decretis Christiani Magistratus applicemus. Quare si quædam rudius hîc & durius dicta reperiantur, ea non nobis, sed Arminianis imputent, qui quædam hîc duriter satis & per contemtū, ut invidiam Ecclesiasticis conflarent, protulerunt, quorū tamen verbis utendum hic nobis fuit. Quare ut ipsi dicunt ista omnia, ministris Ecclesiasticis applicata, ipsissimum esse Papatus aut Papalis imperii arcanum: ita & nos dicimus, eadem illa Magistratui accommodata novi Papismi Politici jacere fundamentum. Solvant hunc nodum si possint.

Sentiunt maximam hic sibi oriri difficultatem, quare constringendam & limitandam aliquo modo censent Ecclesiasticam supremi Magistratus potestatem. Hunc ergo sibi tandem, Pag. nim: 66. Utenbogardus movet scrupulum, rogans, *An Magistratus ordinem statuet, leges figet, facietque in Religione quicquid ipsi visum fuerit*

pre-

pro arbitrio? Respondet, *nequaquam. Si enim* (inquit) *in rebus mundanis, temporalem hanc vitam concernentibus, licitum ipsi non est transgredi limites æquitatis, justitiæ, & honestatis, aut leges & statuta reipublicæ transilire; quantò minus ipsi licebit in articulo quopiam religionem aut cultum divinum concernente, quidpiam agere, statuere, aut mandere, præter vel extra limites verbo Dei constitutos? Hæc regula est quam Magistratum sequi decet in omnibus, ita ut ne pilum quidem ab ea discedere ipsi liceat.* Verum hæc limitario non servat Utenbogardum, sed confodit eum planè cum omnibus subordinatoribus. Nam. 1. inquirendum, num Dei verbum concedat Magistratui supremo Christiano architectonicam, quam subordinatores ei tribuunt, potestatem. Necdum illam in verbo Dei invenimus. Conantur quidem Subordinatores eam in verbo Dei ostendere: sed quam miserè, quam ineptè, in sequentibus (Deo dante) demonstrabimus. 2. Verbum Dei, sive Scriptura novi Testamenti, quæ nobis exhibet initium, naturam, conditionem, & statum regni Christi, ut Filii Dei incarnati, & in cælis, post humiliationem suam, ad dexteram Patris collocati, quod per totum mundum potentia verbi & spiritus sui dispergit, deberet nobis exhibere supremum Magistratum inter Christum & ministros ipsius spirituales in regno isto constitutum,

stitutum. Sed tale quid nusquam ostendit: imò ne vel exiguam ejus speciem. 3. Licet supremo Magistratui fas non sit leges & statuta regni aut reipublicæ transilire, quamdiu illa vigent aut abrogata non sunt: potest tamen, ubi id ipsi visum est, vel publico bono profuturum judicat, ea abrogare, aliaque iis substituere, aut aliàs, immutare, ampliare, minuere, &c. An hoc ipsi licet in Ecclesiasticis? liceret certè si quidem hęc, æquè ac politica, potestati ejus subjecta essent. Non licere autem, limites verbo Dei constituti disertè edicunt. Verbum enim Dei Ecclesiæ prædicandum præcise est definitum: Sacramenta, eorumque modus administrandi definitus est: Definitum est in quos aut quales disciplina Ecclesiastica sit exercenda: Particulares verò casus judicandi & decidendi potestas concessa est Ecclesiasticis conventibus. Potestatem enim fecit Christus suis conveniendi in suo nomine, promisitque ibi gratiosam suam præsentiam, Matth. 18. v. 20. Dedit Ecclesiæ suæ potestatem, monendi non tantum ad obædientiam, pacem, aliasque virtutes Christianas; sed & refractarios excludendi, habendique pro ethnicis & publicanis à regno ipsius alienis. Matth. 18. vers. 16. 17. Sic etiam Ecclesiasticis conventibus facta est potestas nomine Christi judicandi controversias de doctrina Act. 15: dispiciendi de fidis Ecclesiarum ministris, Act. 1. & 6. & alibi.

alibi. Cum ergo Magistratui supremo concessum non sit quidpiam agere aut statuere quod limites verbi Dei excedat, conservanda est illi in istis & similibus sua Ecclesiæ potestas, utpote verbo Dei fundata & stabilita. Nec apparet uspiam in hæc, & alia ejus generis, potestatem à Christo Magistratui supremo concessam & Ecclesiæ ademtam esse.

Verum si aliquando contingat (quod contingere posse nemo sanus negabit) Magistratum supremum in edictis suis de rebus Ecclesiasticis limites verbi divini transilire, quid tum ministris Eccesiæ agendum? An illi ejusmodi statutis & edictis tenebuntur? Certè sanus non esset qui hoc affirmaret. Hinc ergo patet, quod & supra evidenter ostensum, & ipsos adversarios fatentes audivimus, ministros Ecclesiarum aliud habere mandatum à superiori domino profectum, immediate ipsis traditum ab eo qui immediatus ipsorum Dominus est, & cujus ipsi propriè sunt ministri, nimirum à Filio Dei, ipsorum & omnium fidelium Rege spirituali. Ad illud mandatum oportet ut edictum aut mandatum supremi Magistratus examinent. Hoc autem sine judicio fieri non posse per se planum est. Iudicium verò istud judicium subalternum, dependens sc: ab eo de cujus edicto judicatur, esse non potest. Itaque edictum illud Magistratus, edictum supremæ potestatis

testatis non est, de quo appellare non liceat. Ac proinde iterum concidit subordinatio. Accedit quod, cum Magistratus in rebus mundanis, temporalem hanc vitam concernentibus, excedunt limites æquitatis & justitiæ, subditi quidem privatim apud se dolere & gemere; verum ultra nihil legitimè tentare possint, sed teneantur, modestè se submittentes voluntati, dominio, statuto, & judicio illi supremi Magistratus, causam suam Deo cum fide & patientia commendare. At cum in causis religionis transgreditur limites verbi divini, non licet Ministris Christi, & reliquis Ecclesiæ membris, in eo acquiescere, sed tenentur, vi verbi ac mandati divini, suæ inherere sanæ doctrinæ ac sinceræ religioni, eamque coram Deo, in Ecclesia sua, & ubicunque oportunum est, exercere & promovere: ut ab Apostolis, aliisque fidis Christi ministris, factitatum: qui, quando à primoribus jubebantur non docere in nomine Christi, cordatè responderunt, *Deo magis obediendum esse quam hominibus*. Ita nec hîc consistit subordinatio. Ex hisce igitur omnibus manifestum esse arbitror, quam ineptum sit, Res & munia Ecclesiæ Christi, simul cum rebus & officiis politicis, directè & immediate subjicere potestati Politicæ. Atque hæc ad exceptionem priorem.

Altera exceptio sumitur à distinctione Magistratus supremi. Alius enim ethnicus aut

aut infidelis est, alius Christianus. Sunt qui non Magistratui quà Magistratui; ac proinde non cuivis Magistratui: sed tantum Magistratui Christiano seu fideli, & quidem quà tali, potestatem istam assignant. Sed hic se separant Remonstrantes ab aliis qui hac in parte ad orthodoxos propius accedunt. Remonstrantes enim in hac, quam orthodoxis movent, controversia, de solis quidem agunt Magistratibus supremis Christianis; sic tamen ut non obscurè indicent reliquis etiam Magistratibus summis, quà talibus, potestatem illam in res ecclesiasticas competere. Uteubogardus librum suum inscribit. *De officio & authoritate supremi Magistratus Christiani in rebus ecclesiasticis.* Attamen ubi quæstionem format pertractandam pag. 7. loquitur de supremo Magistratu in genere, absque limitatione (*Christianus*) mentemque suam, & quare sic loquatur, clarius exprimit, dicens, *Non quod putem hac in causa perinde esse, sive Magistratus de quo loquor Christianus sit, sive non sit. Fateor enim Magistratum qui Christianus non sit hoc jure nec posse nec velle uti: non defectu authoritatis, sed quia Magistratus non Christianus, vel religionem Christianam, & quæ ab ea dependent, non curat, quare & ejus confessores atque adstipulatores, si eam tolerare vel vult vel cogitur, circa eam versari permittit, prout ipsis visum est: vel quia*

(quod

(quod sæpe accidit) potestate sua ad ejus eversionem utitur, seu potius abutitur. Nihilominus (inquit) *inquiri debet quid officii ejus sit, & quid, ut supremus Magistratus, & quà talis, ex officio agere debuerit.* Hoc (inquit) *addo, ut intelligatur Magistratum, cum religionem Christianam amplectitur, non acquirere novã authoritatem: sed quod eam, quam ante etiam in rebus religionis & cultus divini habebat, authoritatẽ, tum demum ritè agnoscit, & rebus Ecclesiæ adhibet. cum, cognitione Dei & Christi collustratus, officio à Deo sibi imposito, quo ante hac in causa vel non usus vel abusus fuit, rectè utitur.* Nihilominus testatur se de *solo Christiano Magistratu acturum, quia potestas de quâ ipsi sermo est non nisi à tali rectè usurpari & adhiberi potest.* Arminiani in Apol. c. 25. Fol. 297. verso testantur, *Declarationem, sive Confessionem suam, non agere nisi de Magistratu, qui Dei Christique authoritatem supra se agnoscit, & ex præscripto Religionis Christianæ eam exercet & administrat.* Et rursum. *De officio Magistratus simpliciter quà Magistratus est, sive quà supremam in regno, statu, aut republicâ potestatem habet. sive sit Iudaicus, sive Gentilis, sive alius quivis Magistratus, Declaratio non agit: sed tantum de officio Magistratus Christiani, &c.* Attamen in sequentibus manifestè satis indicant se illam agnoscere in quovis Magistratu. Nam quod in declaratione seu confessione

fessione sua dixerant *de Magistratu Christiano, (Si quis modo talis sit in Ecclesia)* id in Apologia dicunt fol. 297, verso 9. & 298. *Non eo fine Declarationi insertum esse ut indicetur Magistratui supremo absolutè, sive quà Magistratus supremus est, jus sive potestatem illam in publico, sive externo Ecclesiæ regimine, non competere. Nihil minus. Potestati enim* (inquiunt) *supremæ, sive architectonicæ, quà potestas suprema est, jus hoc ut competat, ratio ordinis, sive boni regiminis, natura sua postulat. Duas enim summas potestates in uno populo dari ipsius summitatis naturæ omnino repugnat. Sed eo tantum fine declarationi inserta sunt verba illa, ut indicaretur Ecclesiæ esse, in publico isto atque externo regimine, agnoscere potestatem illam, neque sine ejus authoritate, jussu aut consensu, nedum invita aut refragante illa, quicquam eorum quæ ad externum illud pertinent decernere aut suscipere, tanquam si ad eam cura ista non pertineret, aut ad eam non nisi secundariò ac minus principaliter pertineret.* Pergunt. *Si enim Magistratus persecutor aut osor sit Ecclesiæ, aut si curam illam externi regiminis in se nolit suscipere, sed eam subditorum suorum arbitrio liberam velit relinquere, tum ut authoritas Magistratus interveniat necesse non est. At si talis in Ecclesia Magistratus sit qui ea uti vult, & curam istam ad se pertinere credit: tum authoritas ejus, post Dei*

Chri-

Christique authoritatem, regimini isti intervenire debet. Et ratio est: Si Magistratui quà tali jus hoc competit, ergo multò magis competit Magistratui Christiano. Christiana enim Religio non modo non adimit Magistratui potestatem illam, sed addit insuper aptitudinem potestate illa rectè, & ex præscripto Religionis Christianæ, utendi. Hactenus ista Apologia.

Intelligimus ergo mentem Arminianorum: Quod, licet in scriptis suis, hac de causa, perpetuò loquantur de Magistratu Christiano, sentiant tamen, quia Magistratui potestas illa competit, etiam omni Magistratui eam competere. Et meritò hoc sentiunt. Nam ab eo quod Magistratui supremo quà tali competit, nullus Magistratus supremus excludi potest. Quare & nos fatemur ac docemus, Potestatem quæ Magistratui, quà tali, circa religionem & Ecclesiam competit, omni Magistratui, & non soli Christiano competere. Attamen quomodo hoc intelligi debeat, & quæ illa potestas sit in sequentibus (Deo dante) latius explicabimus. Verum hoc planè evertit ante examinatam Subordinationem. Res enim Politicæ tractari, agi, obiri, immutari, &c. sine authoritate consensu aut jussu summi Magistratus non possunt. Ratio est quia illis directè & immediatè subsunt. Sed in rebus Ecclesiasticis & religionem concernentibus longè alia est ratio.

Quam-

Quamvis enim potestas Magistratus supremi cujuscunq;, sive fidelis, sive infidelis, par sit in omnibus, res tamē religionis & ecclesiæ tractari, agi, obiri, immutari possunt, à falsa sc: religione in veram, sine authoritate, jussu, consensu supremi Magistratus, sc. infidelis. Planum est ergo non sic directè & immediatè res religionis atque Ecclesiæ subordinatas esse supremo Magistratui ut sunt res politicæ. Frivolum itaque est, imò ineptum prorsus, quod dicunt, *Si Magistratus persecutor aut osor sit Ecclesiæ, aut si curam illam externi regiminis in se nolit suscipere, sed eam subditorum suorum arbitrio liberam velit relinquere, tum ut authoritas Magistratus interveniat necesse non est.* Nam si in rebus politicis Magistratus supremus quidpiam prohibeat, nemini licet id aggredi: si planè rem non curet, nec subdito quà subdito tentare illam licet; nisi ut in anarchia quis per seditionem se ingerat, & summi Magistratus partes & potestatem sibi sumat: si liberam relinquat subditis suis vel expresso vel tacito consensu, subditi isto casu potestate eam administrandi vi consensus istius præditi sunt. Applicetur hoc rebus Ecclesiæ, quas in subordinatione hac politicis pares faciunt. Si ergo consensu vel expresso vel tacito regimen Ecclesiæ subditis concessum est, licebit illis, juxta illam subordinationem, vi concessionis istius, illud administrare: secus si supremus

Magistratus illo regimine subditis interdicat, aut illud prorsus non curet, tunc enim abstinendum erit omnibus ab illo regimine, nisi vel rebelles in summum Magistratum haberi, vel in anarchia ista potestatem illius sumere sibi velint. Expedire hic nemo se poterit, nisi agnoscat Christi, ut regis spiritualis, authoritatẽ in Ecclesiam suam, agnoscatque res Ecclesiasticas non directè ut politicas supremo Magistratui subjectas esse: ac proinde aliam dari in Ecclesiâ, ut regno Christi spirituali, potestatem à Christo immediatè promanantem, cujus vi, vel non curante, vel etiam prohibente summo Magistratu, res religionis & Ecclesiæ administrare liceat.

Deinde & causam suam egregiè hic produnt Arminiani. Magistratus enim est supremus, qui illis regimine suo externo Ecclesiastico interdixit, & Magistratus quidem Christianus, cui potestas, quam Arminiani illi attribuunt, per Christianam religionem adimi non debet, sed cui insuper ex religione Christiana addita est aptitudo potestate illa rectè utendi; & Magistratus quidem qui cura quæ ipsi circa religionem competit uti vult: cur ergo ei non parent, & à regimine externo Ecclesiarum suarum non abstinent? Ad quod Duo responderunt. 1. Distinctionem dederunt inter regimen Ecclesiæ simpliciter, & regimen Ecclesiæ in locis publicis. In hoc potestatem

supremo

supremo Magistratui tribuerunt, non in illud. Sed sic rursum concidit Subordinatio. Nam quod ad res politicas attinet, in eas competit Magistratui jus suum, sive in publicis eæ tractentur locis, sive in privatis. Nam si quis in privato loco quempiam occidat, clam furetur, in locis occultis sicarios colligat & armet, vel ad concives suos, vel ad Magistratum ipsum invadendum, tam obnoxius habetur legibus & pœnis politicis, quam si ea agat in locis publicis. Itaque si eadem est ratio rerum Ecclesiasticarum, tam non licebit invito Magistratu conventus Ecclesiasticos habere clandestinos in locis privatis, quam publicos in publicis. Verum quid illi de locis privatis garriunt? In foro, in plateis, in aliis locis publicis, impediente, renitente Magistratu, conventus suos habuere Ecclesiasticos, etiam vi & armata manu. Et iam variis in locis templa quædam & oraria publica sibi extruxerunt, in quibus publicè suam exercent religionem, turmatim, eodem planè modo ut Reformati, ad illa accedentes & ex illis exeuntes. An putant tantum interesse sive utatur quis templis majorum sumtibus fabricatis, sive quæ cœtus quis hoc tempore suis sumtibus extruit; & stipendio fruatur, vel ex bonis & reditibus Ecclesiasticis, vel ex liberalitate eorum quibus ministrat, ut illud potestatem supremi Magistratus in rebus Ecclesiasticis

tantum immutet, augeatve vel minuat? Exigua certè & levis potestas, quæ tam levi de causa cadit & resurgit, vel tam exiguo momento invertitur. 3. Ad superiorem dominum ejusque legem provocarunt, dicentes fol. 304. a. *Ad docendum enim, & docendum quod rectum ministris videtur, obligatur conscientia ministrorum ex lege superioris domini, id est, ex generali charitatis, & speciali vocationis divina lege, quam refigere Magistratus nec potest nec debet.* Sed hæc duplex divina lex subordinationem illam planè subvertit. Nam ubi lex viget superioris domini, ad quam Ministros Ecclesiæ, posthabito & præterito Magistratu supremo, etiam ipso interdum invito, attendere oportet, ibi non competit supremo alias Magistratui summum imperium.

Alii vero potestatem illam non cuivis Magistratui supremo, sed Christiano solùm attribuunt; eâque ratione multa se posse absurda evitare arbitrantur. Ergo potestas Ecclesiastica, quæ ante vigebat in Ecclesiâ regni aut reipublicæ cui Magistratus infidelis præerat, immediatè promanans & dependens à Christo; post, Magistratu ad religionem Christianam converso, vel Christiano illi succedente, Politicæ potestati subjicietur, magistratu illo Christiano inter Christum & Ministros ejus interveniente, per quem deinde à Christo in istos illa derivetur. Verum quâ ratione? quo

quo mandato? quo ordine? Nec S. Scriptura docet hoc usquam, nec sana ratio hoc postulat. Christus nusquam dixisse legitur, Se quidem tum, cum in terris ageret, immediate dare ministris suis potestatem docendi verbum suum, & Ecclesiam suam regendi; sed id postea immutandum, quando supremi Magistratus ad Ecclesiam accessuri essent: nec Apostoli tale quid unquam vel docuerunt vel præmonuerunt. Imò nihil invenitur in tota Novi Testamenti Scriptura quod vel minimam ejus rei speciem præ se ferat.

Nec sana ratio tale quid dictat. Nam Magistratus, & Religio Christiana, vel Christianitas (ut sic nunc loquar) non per se, sed planè per accidens, concurrunt in eodem subjecto. Accidit Magistratui, hoc est, ei qui Magistratu fungitur, Christianũ fieri: accidit Christiano ad Magistratus dignitatẽ vocari. Magistratus officium quod quis obit, est dignitas, potestas, qua quis pollet inter homines, ut homines, in regno potentiæ, sive in regno Dei universali. Christianitas verò est nova conditio & qualitas, qua quis imbutus est, virtute verbi & spiritus divini, in Ecclesia, quæ est regnum gratiæ, sive regnum Dei speciale. Magistratus dignitas nihil facit ad Christianitatem, & Christianitas nihil ad Magistratus dignitatem. Quare sicut Magistratus officium non facit quempiam me-

liorem Christianum: ita nec Christianitas auget Magistratus potestatem. Christiana religio non adimit quidem magistratui potestatem; imò nec imminuit eam: sed nec dat ei potestatem, nec auget illam. Sicut enim Christus non venit ad constituendum regnum aliquod mundanum, nec ad subvertendum regum & principum potestatem; ita nec venit ad augendum eam.

Sed (dicunt aliqui) *Magistratus ad fidem Christianam conversus, conversione ista sanctificatur*. Rectè (inquam) sanctificatur, sed non induit Ecclesiasticam potestatem. *Cibus* (ut inquit Apostolus 1. Tim. 4. vers. 5.) *sanctificatur per verbum Dei & precationem*: at non propterea magis cibus est, & magis alit. Idem Apostolus dicit 1. Corinth. 7. v. 14. *Maritum infidelem sanctificatum esse per uxorem fidelem*: & vice versa *uxorem infidelem sanctificatam esse per maritum fidelem*. Verum per sanctificationem illam, nec ille magis maritus est, nec illa magis uxor. Sanctificatur cibus ut liceat eo vesci bona conscientia: sanctificatur maritus infidelis ut liceat uxori fideli bona conscientia ipsi cohabitare. Sic etiam sanctificatur Magistratus fidelis, ut & liceat ei, & possit ex fide, pura cum conscientia, munere suo fungi, & uti potestate sua. Maritus & Paterfamilias fidelis ob fidem & exercitium Christianæ religionis non pollet majori authoritate, ille in uxorem,

rem, hic in liberos & familiam: sed potestate qua pollet; ille in uxorem, hic in liberos, melius uti novit fidelis quam infidelis, ad suos in pietate instituendos. Et quod Christianus ex conjugio fit maritus, & ex generatione paterfamilias, nihil addit ejus Christianitati, sed præbet ipsi occasionem cognitione sua & pietate commodius alios imbuendi. Sic quoque se res hïc habet. Quod Christianus quis Magistratus creatur, non facit illum magis Christianum, sed dat illi occasionem, per eam qua pollet authoritatem, dona pietatis suæ bono aliorum impendendi: Rursum quod quispiam Magistratu pollens Christiana fide imbuitur, non auget ipsius authoritatem: sed efficit ut authoritate sua, qua in quantum Magistratus instructus est, melius uti norit.

Cap. IX.

In quo id quod Arminiani in Apologia suâ de Architectonicâ Potestate sub Christo disserunt accurate examinatur.

ARminiani in Confessione vel Declaratione sua cap. 25. Parag. 3. de authoritate supremi Christiani Magistratus in rebus Ecclesiasticis, sic loquuntur. *Debet autem*

tem his Synodis, post Dei Christique authoritatem summam, etiam intervenire authoritas Christiani Magistratus, tanquam Ecclesiæ nutritii, si quis modo talis sit in Ecclesia: quippe cujus officium est, ad exemplum piorum Vet: Test: Regum *ac Principum, externum Ecclesiæ ordinem ac regimen architectonicè moderari, & publicum in ea cultum sartum tectum conservare.* Professores Leydenses in sua censura pag. 330. sic annotarunt. *De officio pii Magistratus circa Synodos, & universim de toto Magistratus in regimine Ecclesiæ officio agunt. Dicunt itaque officium Magistratus esse externum Ecclesiæ ordinem ac regimen architectonicè moderari, & publicum in ea cultum sartum tectum conservare. Certè agnoscimus & nos Magistratus hoc officium; Sed quod addunt* architectonicè *moderari, id absolutè ita dici non potest. Quod vel id evincit quod prænotarunt de Magistratu Christiano,* si quis modo talis sit in Ecclesia: *quo satis indicatur non absolutam ejus potestatem esse in Ecclesiæ regimine, ut quod etiam Ecclesia habet Magistratu in Ecclesia non existente, eaque Magistratus potestate destituta. Ita ut tota hæc potestas Magistratus in regimine Ecclesiæ sit potius ex accidente, quam ex natura Ecclesiæ, quæ cum toto suo ordine & regimine externo esse potest, etiam dum Magistratus ejus membrum non est. Christus, ut unicus Ecclesiæ Rex, Ecclesiam suam ipse regit*

& mo-

& moderatur architectonicè, non tantum quà interna, sed & externa & publica est, idque per ministros suos, qui hîc ministri tantum sunt, & ministerialiter agunt: neque ulla alia potestas verè architectonica est in Dei Ecclesia. Ac proinde si quis absolutè dicat, Magistratum Ecclesiæ regimen architectonicè moderari, *ille Christi regimen non leviter infringit: aut si subalternè sub Christo talem architectonicam potestatem intelligat, ille Ecclesiam, sacrumque ministerium, quod immediatè subest Christo, jam Magistratui ita submittit, ut Ministri non modo Dei, sed & Magistratus ministri dici debeant, atque ita Ecclesiæ ministerioque Ecclesiastico sua potestas divinitus tributa subducetur. Quin hoc modo, loco Papæ unius, tot Papæ erunt quot sunt supremi Magistratus. Ergo non absolutè moderatio externi Ordinis Ecclesiæ & regiminis architectonica Magistratui competere potest, sed soli Christo, qui ministris utitur ad regiminis sui administrationem: Ecclesiæ & ministerio ejus in rebus indifferentibus tribuens quandam dispositionem seu dispensationem: Magistratui verò, secundum sublimem ejus vocationem, ut utriusque tabulæ custodi, divini cultus, omnisque publici ordinis tutori, hæc eadem potestas convenit, sed suo modo, nempe politicè, dum pro* αὐτοκρατορικῇ & ἀρχιτεκτονικῇ *sua potestate, pietatem & ordinem Ecclesiæ legibus sancit ad vigorem publicæ*

 obser-

observantia. Quo neque Ecclesiæ suam, neque Magistratui suam potestatem detrahimus, sed utrique quod suum est tribuimus, & amicè in uno Christi opere conjungimus.

Piam hanc & sinceram Professorum Leydensium annotationem ægrè admodum ferunt Arminiani, eamque causantur *ipsissimum esse Papatus corculum atque medullam.* Diligenti examine opus hoc habet, ut simul occurratur omnibus iis qui, nescio quid, Papale nos hîc meditari vel criminantur vel suspicantur. Hoc fine ipsa Arminianorum vestigia prememus, singula quæ in hanc rem proferūt sedulo perpendentes.

Primo ægrè ferunt quod dicatur, Christum Ecclesiam suam, etiam quà publica & externa est, per ministros suos regere. Hinc enim concludunt: *Ministros sive Pastores habere potestatem & authoritarem immediatè, id est, primam & supremam, sub & à Christo.* Sed calumniantur, sumendo illud (primam & supremam) eo sensu quo Magistratui primam & supremam potestatem tribuunt. Professores enim dixerunt, *Ministros Christi tantum ministros hîc esse, & ministerialiter agere.* Pergunt: *Magistratus itaque potestatem istam, aut prorsus non habet, aut immediatè etiam, unà & cum Ministris, eam à Christo habet, aut ministrorum istorum ista in re minister ac subditus est.* Resp. Magistratum potestatem illam prorsus non habere. Nusquam enim

Chri-

Christus potestatem illam ipsi dedit, aut potestas illa data ipsi legitur in tota S. Scriptura. Quia Christus Ecclesiam suam regit potestate verbi sui, quà publicè prædicati, quà privatim applicati, totaque executio potestatis illius sita est in administratione clavium regni cœlorum: si potestas illa Magistratui competeret, deberet illi, & verbi prædicandi, & exercitii clavium istarum potestas tradita esse. Magistratus enim quà Magistratus minister Dei est in regno potentiæ, quà verò ille qui Magistratũ obit membrum est Ecclesiæ, subditus est Christi regis spiritualis in regno gratiæ.

Pergunt dicentes, *quod Professores profitentur Ministros Christi in Ecclesia ministerialiter tantum agere, nil nisi verba esse: quia ministerialiter agere hîc reipsa idem sit quod architectonicè regimen ac moderamen Ecclesiæ habere.* Qua in re insignem illis faciunt injuriam: expresse enim id sic declararunt Professores, ut docerent se architectonicam potestatem Ministris Christi nequaquam tribuere. Sed videamus quænam sit architectonica potestas. Ἀρχιτέκτων (ut novimus) is est qui ædificiis extruendis præest, qui ædificii extruendi formam concipit primum & delineat, ac schemate quodam effigiat, ad cujus deinde præscriptum fabri & operarii reliqui ædificium construunt: cujus proinde est mandare, præcipere, fabris singulis partes suas

injungere, eorumque operationes dirigere; ſicut & horum eſt illi obædire, & ad præſcriptum ipſius actiones omnes ſuas componere, nihilqùe agere niſi ex præſcripto illius atque mandato. Hinc eſt quod architectonica poteſtas, metaphoricè ſic dicta de poteſtate quæ obtinet in ſocietatibus humanis, poteſtas eſt ſuprema, cujus eſt præcipere, mandare, imperare prout viſum eſt, & cui abſolutè ſubmittere ſe debent quotquot ſub eâ ſunt conſtituti. Hujuſmodi poteſtatem in Eccleſia nemini competere præterquam ſoli Chriſto per ſe eſt manifeſtiſſimum. Ineptum eſt dicere, quod quis, ſive is ſit Miniſter Eccleſiæ, ut Papa in Eccleſia Romana, ſive Magiſtratus ſupremus (ut volunt Arminiani & Subordinatores) Eccleſiam ſub Chriſto regat architectonicè. Involvit enim contradictionem. Nam qui Eccleſiam architectonicè regit, non regit eam ſub Chriſto: & qui ſub Chriſto eam regit, non regit eam architectonicè. Apoſtolus quidem dicit 1. Corinth. 3. verſ. 10. ſe, inſtar ſapientis architecti, fundamentum poſuiſſe: attamen non tribuit ſibi illic architectonicam illam poteſtatem; ſed operationem ſuam in ædificanda Eccleſia operationi architecti adſimilat: Architectus enim cum operatur, fundamentum ponit cui ædificium innitatur, & ad cujus formam atque menſuram deinceps à fabris conſtruatur. Sic A-

poſtolus

postolus se ubivis fundamenta Ecclesiarum jecisse testatur: & quidem sapienter, quia ubivis unicum illud fundamentum posuerit, præter quod aliud nullum datur, vid. Iesum Christum, cui porrò ædificia, convenientia doctrinis fundamento illi respondentibus, ministri reliqui superstruere debeant: verum aliud est ista structura, aliud verò potestas architectonica. Illa enim operationem; hæc imperandi potestatem denotat.

Et Magistratus (inquiunt) *minister est, & ministerialiter tantum Dei ac Christi respectu agere dicitur, cum architectonica ei potestas tribuitur. Et architectonicè regere ac moderari nihil aliud est, quam potestatem & authoritatem regendi ac moderandi habere, qua nulla alia potestas sive authoritas sub Christo superior est.* Inepta est hæc definitio potestatis architectonicæ. 1. Quia potestas architectonica & ministerialis planè sunt contradictoria. 2. Quia Christus nullam aliam quam ministerialem potestatem sub se in Ecclesia sua constituit. Quare Apostolus, quem jam audivimus se, respectu operationis suæ, architecto comparantem, diserte de se & reliquis Apostolis, qui sine dubio immediatè sub Christo constituti erant, docet 1. Corinth. 4. v. 1. *habendos eos esse pro ministris Christi, & dispensatoribus mysteriorum Dei.* Hinc etiam planum fit, Potestatem Magistratus

ſupremi, quatenus miniſterialis eſt, non poſſe dici architectonicam. Qui enim miniſter eſt, & miniſterialiter agit, rationem reddere debet miniſterii ſui: architecto autem, & architectonicè moderanti, ſimpliciter fidendum eſt & obædiendum. Miniſter Dei, & Filii Dei, eſt Magiſtratus in amplectenda, aſſerenda, tuenda, & munienda authoritate ſua, vera religione: verum hîc non agit architectonicè. Filio enim Dei conſtituto rege ſuper montem ſanctum Dei, dicitur Regibus & Principibus Pſal. 2. verſ. 10. 11. 12. *Et nunc Reges prudenter agite, erudimini Iudices terræ. Servite Iehovæ in timore, & exultate ei cum tremore: Oſculamini filium, ne iraſcatur, & pereatis in via, quum exarſerit vel paululum ira ejus.* Et cum Magiſtratus quid imperat quod cum mandato Dei & Chriſti non convenit, reſpondere ei licet, imò reſponderi debet, *Deo Magis obædiendum eſſe quam hominibus* Act. 4. v. 19. & 5. v. 29. Sed architectonica illis eſt authoritas ſummi Magiſtratus, quia nulla alia poteſtas ſub Chriſto ea ſit ſuperior. Itane? An non ea poteſtas ſub Chriſto, ejus poteſtate eſt ſuperior, qua illi in os dicitur, Deo Magis quam ipſi obædiendum, ac proinde, ipſo etiam invito & reluctante, progrediendum eſſe in prædicatione Euangelica? qua Propheta increpavit Ieroboamum regem Idololatriæ nomine, prophetavitque contra

altare

altare ejus? 1. Reg. 13. v. 1. 2. qua Prophetæ monuerunt Iudeos ne irent ad Israelem communicatum cum falsa ejus religione: Israelitas verò invitarunt ad verum Dei cultum in Iehuda celebrandum? Dicent forte aliqui, Prophetas fuisse & Apostolos de quibus hic loquimur, ministros Dei & Christi extraordinarios. Resp. fuere quidem extraordinarii, sed tamen fuere ministri. fuit ergo illorum potestas ministerialis superior potestate illorum Magistratuum architectonica, alioqui enim illam increpare & redarguere, eaque invita, in exercitio suo progredi fas illis non fuisset. Verum quare ministri extraordinarii ad rem illam adhibiti fuere? Quia sc: ordinarii in munere suo ritè obeundo cessabant: alioqui enim ordinariorum fuisset, cultum Dei rectè docere, verum exercere, & falsum ministeriali sua potestate redarguere. Quemadmodum & ordinarii fuere ministri ac sacerdotes qui Regi Uziæ, suffitum in templo offere volenti, restiterunt. 2. Paral. 26. v.17.18. Omni enim tempore incumbit omnibus Christi ministris, & Ecclesiæ membris, progredi in exercitio veræ religionis, etiam supremis incredulis Magistratibus id prohibentibus.

Minister etiam Dei est Magistratus in administratione justitiæ, quia unicuique suum tribuit, & authoritate sua vindicat. Hinc dicitur Rom. 13. vers. 4. *Dei minister subdito*

subdito in bonum: & Dei Minister ultor ad iram ei qui quod malum est fecerit. Quare nec hic architectonicè agit. Non enim licet ipsi hic agere pro arbitrio, sed regulæ æquitatis ac justitiæ, cujus administer est, præcise est adstrictus. Videatur in hunc finem declaratio & admonitio Prophetica, Psal. 82. Quare nec Davidi licet vitiare uxorem Uriæ, nec Achabo invadere vineam Nabothi, nec Herodi uxorem habere eam quæ erat fratris ipsius Philippi. Ministerialiter itaque hic agit, ut minister qui suæ administrationis rationem reddere debebit domino suo. Quam ob causam, & aliorum istius Domini ministrorum potestati ministeriali submittere se debet. Nam ut hi vi potestatis suæ ministerialis illum peccantem, vel limites justitiæ transilientem, reprehendere possunt: ita & illius est potestatem illam agnoscere, & reprehensionem ex illa promanantem admittere. Hujus enim potestatis virtute Nathan reprehendit Davidem. 2. Sam.12. v.7. 8.9. Elias Achabum 1. Reg. 21. vers.18.19. Iohannes Herodem Marc. 6. vers. 17. 18. Quare sicut duo hi posteriores peccatum peccato cumularunt, & se cum tota potestate sua præcipites dederunt in exitium, salutarem istam reprehensionem repellentes: ita primus ille, sc: David, optimè & sibi & regno suo consuluit, cum potestati illi ministeriali, quippe quæ nomine Do-

mini

mini ipsius in ipsum exercebatur, humili culpæ confessione, & vera conversione se submisit.

Ita potestati Politicæ, etiam supremæ, limites in utroque istorum positi sunt. In priori quidem, in Religione sc., à priori legis divinæ tabula, & à potestate speciali Christi Regis in regno suo spirituali quod est Ecclesia: In posteriori verò, in justitiæ sc. administratione, à divinæ legis tabula posteriore, qua rebellio omnis ac seditio, cædes, injuriæ, incæstus, adulteria, vagæ libidines, furta, rapinæ, calumniæ, & similia prohibentur. Vi prioris tenetur Magistratus omnem falsum Dei cultum removere, verum autem potestate sua promovere: eoque fine Christum cum regno ipsius spirituali, totoque illius regimine ac ministerio, in ditiones suas admittere, authoritateque sua munire ac stabilire, quò vera & voluntaria, quam ipse coactiva sua potestate efficere non potest erga Deum obædientia, potestate Christi & ministrorum ejus in cordibus subditorum spirituali virtute efficiatur. Vi posterioris, omnem injuriam à subditis suis propellere, bonos tueri, improbos punire & coercere: atque ita in utroque, ut minister Dei, coactiva sua potestate ministerialiter hic operam dare, ut subditi tranquillam ac quietam vitam degere possint in omni pietate ac honestate. In utroque igitur illo minister est, ministe-

miniſteriali, quamvis | coactiva, utens in homines poteſtate. Nam Dei miniſter eſt in regno ipſius univerſali formaliter: reſpectu verò Eccleſiæ & ſubditorum ſuorum, miniſter objectivè. Dei enim, Chriſtique filii Dei, poteſtatem ſupra ſe agnoſcens, efficere debet authoritate ſua, ut Chriſtus, per miniſterium miniſtrorum ſuorum, poteſtatem ſuam ſpiritualem, ubi ipſe poteſtate & imperio potitur, liberè exerceat. Conſiderans etiam quo fine à Deo ſubditis ſuis præfectus ſit, in hoc incumbere debet, ut quilibet, ab injuria omni & noxa immunis, ſua liberè & pacatè poſſideat. Itaque non datur hic ulla architectonica poteſtas.

Præſuppoſitis his & bene conſtitutis, multa adhuc dantur ad conſtitutionem & conſervationem regnorum & rerum publicarum facientia, & ad juſti & æqui adminiſtrationem & exequutionem pertinentia, in quibus, aut de quibus, Deus ſupremo Magiſtratui limites non poſuit: ſed liberum fecit decernendi & ſtatuendi ea quæ ad ſtatus uniuſque conſervationem, pro ratione populi, & ſubditorum indole, quam maximè facere judicabit. In hiſce licet ut dicamus, non miniſterialiter illum agere, ſed architectonicè. Nam ſicut ipſe rempublicam primum fundavit: vel in Democratica Ariſtocratia, vel in pura Ariſtocratia, vel in Monarchia, ita & inſtar architecti eam ſtabilit, protegit, ſartamque ac tectam conſer-

conservat; leges ferendo, easque exequendo, vel immutando vel abrogando, prout ad status sui stabilimentum & incolumitatem facere arbitrabitur. Sic ista diligenter ac prudenter distinguenda sunt, quæ alias Arminiani, & cum illis alii nonnulli, imprudenter admodum confundunt. Ex quibus jam promtum erit colligere, in quibus Ecclesiastica potestas reprehendere possit Magistratum vel non possit. In iis enim in quibus Magistratus supremus, pro potestate ipsi à Deo facta, architectonicè agit, reprehendi eum non posse ab Ecclesiastica potestate censeam, sed oportere ut ea suis intenta se intra limites suos contineat: At inquibus ministerialiter agit, coarctatus limitibus à Deo potestati ipsius positis, reprehendi eum posse ab Ecclesiastica potestate negari non debet. Ratio est quia limites illi definiti sunt verbo Dei, potestatis autem Ecclesiasticæ est verbum Dei administrare, & unumquemque ex illo officii sui admonere. Egregiè hoc observavit Petrus martyr in locis Comm. Class.4. loc.13. sect.9. ubi inter alia sic ait. *Ecclesiastica potestas ad hunc modum omnia complectitur, quia ex verbo Dei omnibus rebus invenit quod consulat. Nihil enim est in toto mundo ad quod verbum Dei se non extendat. Quocirca longè falluntur qui clamare solent, Quid concionatori cum Repub.? quid cum armis? quid cum pharmacopolis? quid cum co-*

cis?

cis? At dicant ipsi; quando minister verbi animadvertit in iis rebus legem Dei violari, cur non reprehendat ex verbo Dei? cur non admoneat? cur non hortetur ut a peccato desistant? Ejus profectò est corripere peccantes, non quidem gladio, non pecuniaria mulcta, non carcere, non exilio, sed suo modo, hoc est, vi & potestate verbi Dei. Ineptum quidem est quod Arminiani potestatem architectonicam & ministerialem confundant, commodum tamen accidit quod supremum etiam Magistratum ministrum hic agnoscant, & Dei ac Christi respectu ministerialiter tantum agere dicant. Nam ex illa illorum, qui summi Magistratuum adulatores esse solent, declaratione solidissimè evincitur, Ministros Christi, cum in negotio religionis, Magistratus verbo Dei ducere & dirigere conantur, eosque exorbitantes reprehendunt, non læsæ majestatis crimen committere, non sublimes potestates incessere, aut eorum authoritatem vel vilipendere, vel eam sibi tribuere: sed tantummodo sui Domini ministros delinquentes, ex mandato & constitutione Domini illius sui, ministeriali sua potestate corrigere, & in viam revocare.

Ex his facile erit observare quam inepta sint reliqua quæ porrò ad hanc materiam pertinentia in illa Arminianorum Apologia sequuntur. Rectè dixerunt D. D. Professores Leydenses, *Si quis subalternè sub*

Christo

Christo talem authoritatem architectonicam dicat competere Magistratui, ille Ecclesiam sacrumque ministerium, quod immediatè subest Christo, jam Magistratui ita submittit, ut Ministri non modo Dei, sed & Magistratus ministri dici debeant, atque ita Ecclesiæ ministerioque Ecclesiastico sua potestas divinitus tributa subducetur. Arminiani dicunt hoc *non tantum in se, sed in plures Reformatos Theologos, adeoque Reformationis Principes dici.* Sed falsum hoc esse planum fit lectione Examinis disputationis Vedelianæ, ab eruditissimo viro D. Iacobo Revio instituti: in quo manifestum fecit plerosque Theologos Reformatos non docere illam Subordinationem, quam Arminiani dicunt, & D. Vedelius, hac in parte nimium ad eos accedens, illos docere putat. Sed pedem paulisper hic figent sc: *ut status controversiæ, qui alias mirum in modum* (sunt ipsorum verbo) *involvi solet, pateat, & omnium oculis expositus sit.* Fiat: & nos pedem pedi opponemus, nec latum quidem unguem illis cedemus: sed, divina adstipulante gratia, vi veritatis ipsos cum calumniis & sophisticationibus ipsorum profligabimus. Cujus rei ea quæ hactenus explicata sunt spem faciunt certissimam. Videamus conflictum.

Thesis ipsorum hæc est. *Potestas architectonica, quoad publicum & externum Ecclesiæ regimen, immediatè sub Christo com-*

competit Magistratui Christiano, non Ministris Ecclesiæ. Quam absurda & falsa sit thesis ista hactenus ostensum est. D.D. professoribus hanc thesin illi contradicentem affingunt. *Potestas architectonica, quoad publicum & externum Ecclesiæ regimen, immediatè sub Christo competit ministris Ecclesiæ, non autem Magistratui Christiano.* Dico hanc thesim præstantissimis iliis viris per calumniam falsò affingi. Nam disertè architectonicam potestatem, quoad publicum & externum Ecclesiæ regimen, soli Christo asseruerunt; Ministris Ecclesiæ non nisi ministerialem potestatem attribuentes. Et falsum est istam thesim ex illorum verbis manifestè liquere: ineptissima quoque est, qua id demonstratum volunt, probatio. Dicunt quidem Professores, *Eos qui authoritatem architectonicam subalternè sub Christo Magistratui tribuunt, Ecclesiæ adimere potestatem quæ divinitus & subalternè sub Christo ei concessa est.* Sed hoc non tantundem est atque dicere, Potestatem architectonicam, quoad publicum Ecclesiæ regimen, competere ministris Ecclesiæ, ut ineptissimè prætendunt Arminiani. Quid enim? An omnis potestas architectonica est? An sic didicerunt argumentari Arminiani à genere ad hanc illamve speciem affirmativè? Potestas adimitur Ecclesiæ, ergo potestas architectonica illi adimitur. Sic facile concluderem Arminianos

nianos bestias esse, quia sunt animalia. Sed audiamus rationem ob quam thesis Professorum talis thesi Arminianorū contradictoriè debeat opponi. *Alterutrum* (inquiunt) *dicendum est. Aut utrisq; simul* (sc: Magistratui & Ministris Ecclesiæ) *immediatè architectonicam istam potestatem sub Christo competere, aut alterutri tantum: Vtrisque simul ut competere dicatur per se absurdum est. Nam alioqui duæ collaterales potestates architectonicæ, quarum altera ab altera non dependeret, in Ecclesia Christi statuendæ forent, quod contra boni regiminis naturam est. Ministris itaque Ecclesiæ, exclusivè ad Magistratum Christianum quà talem, authoritas ista competit ex Censorum aperta confessione.* An non putes, lector, Arminianos hîc vicisse? Certè sic sibi persuadent, & in sinu gaudent. Sed non observant miseri quod, sicut modo peccarunt affirmativa argumentatione à genere ad speciem, ita hic peccent insufficienti enumeratione, & falsa hypothesi, ac proinde & petitione principii. Insufficienti enumeratione. Nam non sufficit dicere, Vel utrisque vel alterutri tantum competit architectonica ista potestas immediatè sub Christo: sed addendum erat, vel neutris: uti revera neutris competit. Falsa hypothesi: nam ponunt, quod tamen falsum est, dari potestatem sub Christo architectonicam: ac proinde & Principium petunt,

quia

quia probationis loco adducunt quod tamen in quæstione est.

Iam porro ex thesi illa falsa, per calumniam Professoribus affiϲta, consequentias neϲtant Arminiani, & ineptias suas, atque calumniandi pruriginem, manifestent. Thesis falsa hæc est ab ipsis secundò repetita, *Architeϲtonicam potestatem regendi Ecclesiam immediatè sub Christo competere Ministris Ecclesiæ, non autem Magistratui Christiano. Hinc ajunt immediatè sequitur: Supremum atque architeϲtonicum judicium de iis quæ pertinent ad externum Ecclesiæ regimen, immediatè sub Christo competere ministris Ecclesiæ. Hoc posito sequitur immediatè: Vniversam authoritatem, inspeϲtionem, curam, & direϲtionem, quæ Magistratui tribuitur quo ad res Ecclesiasticas, dependere à judicio Ministrorum Ecclesiæ, tanquam à judicio summi tribunalis, & supremæ curiæ à qua provocatio non datur. Ex eo autem deinde hæc immediatè sequuntur. 1. Magistratum Christianum, non indireϲtè tantum, sed direϲtè etiam, obligari ad sequendum judicium ministrorum Ecclesiæ, in vocatione, correϲtione, exauthoratione punitione, coercitione, &c. Pastorum, aliorumque Ecclesiæ subditorum, in convocatione & celebratione Classium, Synodorum, &c. 2. Magistratus Christiani esse, decreta omnia ministrorum, quæ ad publicum Ecclesiæ regimen pertinent, authoritate sua*

sancire ac stabilire contra omnes dissentientes, reluctantes, & tergiversantes. 3. *Subditos & membra Ecclesiæ non obligari ad parendum Magistratui Christiano, si quid statuat aut decernat contra judicium Ministrorum Ecclesiæ in rebus ad regimen Ecclesiæ pertinentibus; imò obligari ad non parendum. Breviter, Magistratus Christiani esse, statutis decretisque Ministrorum Ecclesiæ parere ac servire; sententias latas approbare & exequi lictoris aut carnificis instar: aut, si malis, famuli ac mancipii instar.* Hæc omnia ex primo isto fundamento (posito sc: in thesi professoribus affictâ) consequi rectè dicunt Arminiani. Sed illo fundamento everso (ut illud prosus nullum & fictitium esse ostendimus) omnia illa concidere recte regerimus nos, ac proinde nil esse nisi meras calumnias, inter se connexas, ex una illâ falsa thesi, D. D. Professoribus afficta, deductas. E contrario autem, cum ipsi id fundamentum ponant respectu Magistratuum, ipsa rei natura docet illos eodem modo Ministros Ecclesiæ subjicere Magistratibus, quo illi hîc falso causantur Magistratus à D. D. Professoribus, & porro à nobis, subjici Ministris Ecclesiæ. Quod & supra evidenter demonstratum. Sic prorsus subrutum jacet, simul cum fundamento suo, istud architectonicorum architectorum architectonicum ædificium: ruitque ex alto in caput ipsorum, quod volvêre hactenus,

Sysiphi saxum. Erigant se rursum, collapsumque suum ædificium instaurent denuo, si possunt, insignes sc: architecti.

Cap. X.

In quo D. Parei, de architectonicâ supremi Magistratus in rebus Ecclesiasticis potestate sententia excutitur.

OBjicient hîc nobis adversarii, Doctissimi & Celeberrimi viri D. Davidis Parei, Thologi quondam Heidelbergensis sententiam, qui in Dubiis ad Cap. 13. epistolæ Pauli ad Romanos Dub. 5. *De potestate Magistratus Civilis circa religionem*, in præcognitis, ad solutionem quæstionis ibi propositæ facientibus, potestati Magistratus architectonicæ subjicit, tam potestatem Ecclesiasticam, quam Civilem simpliciter sic dictam. Quare istius viri authoritate sententiam nostram profligatam plane & protritam exstimabunt. Sed considerandum, authoritatem D. Parei, quamvis viri magni, authoritatem tantummodò humanam esse. At nos argumenta & rationes è verbo Dei, & ex ipsa rei naturâ, produximus. Verum non est quod hîc tantopere de D. Parei sententia glorientur: Non enim illic in omnibus eum sibi assentientem habent: quamvis etiam nonnihil in ip-

in ipsius sententia reprehensione dignum judicemus, ubi nimis propè ad sententiam adversariorum accedere deprehenditur. Quare accuratiorem aliquanto considerationem sententia ipsius requirere videtur.

Duo isthoc capite movet dubia ad hanc rem pertinentia, Dubium sc: quartum & quintum. Dubium quartum est, *An & quatenus licitum sit resistere potestatibus, & Pontifici Romano?* Sententiam de isthoc dubio suam, quam veram esse dicit, majoris lucis causa propositionibus aliquot explicat. Prima est, *Episcopi & Pastores Magistratibus suis impiis aut injustis possunt ac debent resistere, non vi aut gladio, sed verbo Dei: arguendo eorum notoriam impietatem aut injustitiam, & ad officium, juxta verbum Dei, & juxta leges faciendum eos cohortando: contumaces verò, de consensu Ecclesia, etiam Satana tradendo, donec resipiscant.* Tribus propositionem istam firmat rationibus. I. *Quia officium Pastorum est quosvis fidei sua commissos errantes in viam reducere, arguere, & corrigere, secundum verbum Dei: Quodcunque ligaveritis in terra &c. Matth.* 18. *p.* 18. *Argue, objurga, exhortare cum omni lenitate & doctrinâ.* 2. *Tim.* 4. v. 2. *Eos qui peccant coram omnibus argue, ut & reliqui timeant.* 1. *Tim.* 5. v. 20. II. *Quia debent excubare pro animabus, & rationem Deo reddere pro*

sanguine pereuntium, non modo peccatorum (puto legendum, ut ratio oppositionis postulat, *privatorum*) *sed & Magistratuum. Ezech.* 3. *Heb.* 13. v. 17. *Ergo & horum notoria impietati aut injustitia verbo resistere tenentur.* III. *Exemplis Prophetarum: Elia qui impio Achabo, Ieremia qui impio Ioachimo: Iohanni Baptista qui impio Herodi, Ambrosii qui Theodosio ob injustam cadem, verbo restiterunt &c.* Hæc propositio firma est cum suis rationibus: sed evertit Potestatem architectonicam supremi Magistratus in rebus Ecclesiasticis. Nam quibus potest resisti, imò quibus Ecclesiastici, ratione mandati divini & muneris sui, debent resistere verbo Dei &c. illi, qua tales, in rebus Ecclesiasticis, & in eos quorum curæ & fidei commissi sunt, & à quibus argui & reprehendi possunt ac debent, architectonicam potestatem non habent. Hanc enim si haberent, possent reprehensionem illam, etiam de jure, repellere: cum potestas architectonica potestati se superiori, quippe quam nullam agnoscit, non possit esse obnoxtia. Debet autem agnoscere talem se superiorem, si alterius potestatis fidei atque curæ commissa sit, & ab illâ argui, corrigi, & in viam reduci possit ac debeat.

Dubium verò quintum ipsi est, *De potestate Magistratus civilis circa religionem, An sit aliqua, & qualis?* Negativam sen-

tentiam

tentiam, *Quod ad Magistratum non pertineat judicare de religione, sed ad solos Episcopos, imprimis ad Papam Romanum,* tribuit Papistis: Affirmativam verò Orthodoxis. Sed cum quæstio ista multa comprehendat latitudine suâ, ac proinde accuratâ explicatione egeat, primò præmittit præcognita quædam, deinde responsionem dandam aliquot propositionibus comprehendit. Operæ prætium erit paulo accuratius ista considerare.

Præcognitum ipsius primum est, *Potestas politica, seu civilis, dupliciter consideratur: vel ut Architectonica, quæ occupatur in legibus ferendis, ad quodvis bonum reipub: promovendum, & vocatur* νομοθετική: *vel ut Architectonica subordinata, quæ Rempublicam, secundum leges illas, deliberando, judicando, & exequendo administrat, & vocatur simpliciter* πολιτική *seu civilis.* Est ergo duplex potestas Civilis, Suprema altera, altera Subordinata. Recte Supremam vocat Architectonicam. Non refragamur, modo sumatur ut oportet. Architectonica est in ditione sua, quia in illa, imò in toto humano genere, neminem habet se superiorem, sed immediate Deo subordinata est. 2. Architectonica est in rebus mere civilibus, in verbo Dei quoad substantiam non expressis. Nam in rebus religionis, & in humanis verbo Dei definitis, Deo obædire & servire jubetur.

Et observandum quod illa ipsa potestas Architectonica ab ipso D. Paræo potestas Politica seu civilis appelletur.

Præcognitum secundum ipsi hoc est. *Architectonica, seu νομοθετικὴ, curat & disponit legibus, non tantum de uno, sed de omni bono civili & subditorum, quia vult cives suos efficere quam optimos & felissimos. Bonum verò aliud est spirituale, aliud corporale: seu aliud supernaturale, aliud naturale, ad quod refertur morale & civile. Ergo de utroque bono disponit, & disponere debet Architectonica potestas, quæ est regia seu Principatus. Atque hoc est quod vulgò dicimus, Magistratui à Deo commendatam esse curam & custodiam totius legis, seu utriusque tabulæ: quarum prior circa spirituale, posterior circa civile bonum Ecclesiæ versatur: quod fundatur in expresso Dei mandato Deut. 17. & Ios. 1. & in proprio Magistratus officio, quo est Minister Dei ad bonum bonis, ad ultionem malis: unde etiam Dii Magistratus vocantur.* Ad præcognitum hoc, ne alicui errandi occasionem præbeat, observandum est, neminem nunc posse per legem assequi bonum supernaturale; idque propter pravitatem & contumaciam cordis humani: quare Magistratus aliud nihil nunc potest, præterquam externum hominem (ut dici solet) potestate sua coactiva cohibere, & ad externam aliquam disciplinam cogere. Quam ob causam necessario

cessario requiritur potestas quædam alterius generis, agens in ipsa corda & animos hominum, quâ Deus utatur tanquam instrumento, ad homines à se aversos ad se convertendos, in salutarem sui communionem recipiendos, & ad sinceram obædientiam sibi præstandam permovendos: quæ proinde in S. literis indigitatur nomine *Clavium regni cælorum.* Hæc potestas aliunde originem suam habet, sc: ab arhitectonica Iesu Christi Regis Ecclesiæ suæ spirituali potestate. Hanc agnoscere, & intra limites ac portas suas admittere, debet Architectonica illa potestas civilis, ut per ministerium Ministrorum Christi, quibus illa potestas ab ipso concessa est, bonum spirituale & supernaturale subditorum producatur & promoveatur. Deinde de bono spirituali & supernaturali disponere non potest potestas civilis, etiam architectonica: sed de illo disponere potest, vel disponit, solus Deus, vel filius Dei Iesus Christus verbo suo. Tertiò, Etiam potestatis civilis subordinatæ est, pro modo vocationis suæ, curare bonum spirituale subditorum suorum; alioqui, illud non curando, peccare non posset. Tandem, Posterior legis tabula versatur circa bonum civile, non tantum Ecclesiæ, sed etiam eorum qui extra Ecclesiam sunt. Bonum enim civile pertinet ad totam Rempublicam.

Præcognitum tertium est, *Vt verò Architectonica de utroque bono leges ferendo non aberret à scopo, ex ordinatione divina juvatur atque dirigitur à potestatibus subordinatis, proxime circa utrumque illud bonum versantibus. Circa bonum spirituale primæ tabulæ proximè versatur Ecclesiastica, sub se habens scholasticam: circa bonum verò civile versatur politica seu civilis simpliciter dicta, sub se habens œconomicam. Sicut ergo Architectonica circa civile bonum non disponit pro libidine, sed accipit leges à prudentia humana, quæ dicitur Iurisprudentia: sic circa bonum spirituale & supernaturale, hoc est, circa religionem & cultum Dei, non fert leges pro libidine, sed eas mutuatur à prudentia supernaturali & spirituali, quæ est S. Theologia, seu verbum Dei. Vnde sicut in civilibus juri & æquitati, sic in Ecclesiasticis verbo Dei est alligata.* Ad hoc præcognitum est observandum. 1. Quod D. Pareus ponat & dictet, non autem probet, potestates Ecclesiasticam, & Civilem simpliciter sic dictam, Architectonicæ potestati civili subordinatas esse: nec in præcedentibus fundamenta posuit quibus tam gravem assertionem superstruat. Quod enim in præcognito proximè præcedenti dixit de cura & dispositione architectonicæ potestatis super omni bono subditorum, tam spirituali, quam corporali, partim falsum est;

cum

cum ipsa non disponat de bono spirituali, sed verè architectonica potestas divina, cui ipsa est subordinata: partim ulterius tendere non potest quam ad legalem externam coactionem, à qua bonum spirituale promanare non potest. Ecclesiastica potestas, *quæ est Clavium regni cælorum*, qua bonum spirituale eorum qui Magistratibus subditi sunt, ex Dei ordinatione producitur, aliunde originem habet, ut supra prolixè demonstratum. Si autem, cum civili simpliciter dicta, architectonicæ civili subordinaretur, deberet, vel cum civili ab architectonica illa constitui; vel, sicut ex multis civilibus potestatibus architectonica illa exurgit, ita & ex multis Ecclesiasticis potestatibus architectonica eadem resultare. Unde, nec esse, nec dici deberet architectonica potestas civilis, sed Ecclesiastico-politica, vel Politico-Ecclesiastica. 2. Scholastica potestas subesse debet, non tantum Ecclesiasticæ, sed etiam civili simpliciter sic dictæ. Versari enim debet non tantum circa bonum spirituale, sed circa bonum quoque civile: ut quæ non solam Theologiam docere debet, sed & Iurisprudentiam. 3. Politicam potestatem sub se habere œconomicam facile concedimus: supra enim docuimus è multis familiis & oeconomiis inter se conjunctis politiam ortam esse. Sed considerandum, An in negotio religionis, de quo nos hîc

agimus, oeconomica politicæ ſimpliciter ſubjecta ſit, ita ut Magiſtratus jus & poteſtatem habeat Patribus familias præſcribendi religionem quam debeat ſuos domeſticos docere, & cum illis domi ſuæ exercere, eoſque ad illam amplectendam & exercendam cogendi. 4. Alia longè eſt obligatio qua ſupremus Magiſtratus obſtrictus eſt Iuriſprudentiæ, alia qua Theologiæ. Nam in Iuriſprudentia multa ſunt incerta, multa in arbitrio humano poſita, de quibus Magiſtratui ſupremo ſtatuere licet prout ipſi viſum eſt, modo quod ſtatuit non pugnet cum ſubſtantia legis divinæ, aut cum lege morali. Quare & Filius Dei, regnum ſuum ſpriritualein omnibus mnndi regnis & populis conſtituens, nihil præcepit de legibus illorum civilibus. Sed in Theologia omnia ſunt certa, à Deo ipſo, & Filio ejus Jeſu Chriſto, dictamine Spiritus S. in Apoſtolis definita. Unde ſicut præceptum fuit & Magiſtratibus & ſacerdotibus populi Iſraelitici, ut à præſcripto legis divinæ, nec ad dextram, nec ad ſiniſtram deflecterent: ita & Chriſtus Miniſtris ſuis in novo Teſtamento injunxit docere populum ut ea omnia ſervet quæ ipſe illis præcepit.

Sentiens itaque D. Paræus ſatis gravem hinc ſibi orituram difficultatem, remedium aliquale ei adferre conatur ſubſequenti præcognito quarto, quod ſic habet. *Ex*

Eccleſia-

Ecclesiastica & Civilis, ut duæ potestates disparatæ, subordinantur architectonicæ, sed dissimiliter. Civilis quidem ita ut ea simpliciter sit inferior & ignobilior: quia simpliciter ab ea pendet, & habet operationem atque objectum ignobilius. Ecclesiastica verò sic est inferior Architectonica, quatenus ab hac, tanquam ab utriusque boni supremo curatore, ad suum finem dirigitur: ut etiam verè ea dicatur dignior, quatenus ei verum bonum spirituale ex verbo Dei monstrat, quod est Religio & Deus. Sensit vir bonus istam difficultatem, eamque illâ dissimilitudine subordinationis tollere conatus fuit: sed ita ut & difficultatem auxerit, & sibi contradixerit. Nam si Ecclesiastica sic subordinata est Architectonicæ civili, ut ab ea, tanquam supremo, non tantum corporalis, sed & spiritualis boni curatore, ad finem suum dirigatur, oportet ut ei obsequatur in omnibus, ejusque ductum sequatur, æquè ac civilis simpliciter sic dicta. E contrario autem, si Ecclesiastica dignior est Architectonica civili, & quidem ideo dignior quod ei verum bonum, quod est Religio & Deus, monstret è verbo Dei, non debet aut potest huic subordinari, nec ab ea in finem suum dirigi. Dignius enim, qua tale, indigniori qua tali subordinari non potest: & quod summum bonum, vel verum bonum spirituale, monstrat è verbo Dei, non potest ab eo cui

 illud

illud monstrat, tanquam à summo boni illius curatore, in finem suum dirigi. Res ipsa per se loquitur. Sed Architectonica civilis potestas, cum bonum illud quod curare, & finem quem intendere debet, nec cognoscere possit, nec assequi, propter suam & subditorum suorum ignorantiam ac perversitatem, ab Ecclesiastica potestate, quam Deus eo fine per filium suum in mundo hoc constituit, ad finem & bonum illud, ministerio verbi divini, & administratione clavium regni cælorum, dirigi debet.

Præcognitum quintum ipsi est, *Potestas Architectonica, quæ est Regia seu Principatus, propriè quidem vocatur civilis objecto & forma: quia versatur circa civilia, & est civilis statu, conditione, & actibus: Impropriè verò, ex eo quod etiam circa Ecclesiæ bonum supernaturale versatur, vocatur Ecclesiastica: Quia autē non est talis conditione & actibus, nec Ecclesiasticè exercetur, ideo potius potestas Regia circa ecclesiastica appellabitur. Posse tamen dici Ecclesiasticam externam infra ostendetur.* Hoc præcognitum subordinationem Ecclesiasticæ potestatis sub Architectonica civili evertit potius quam stabilit. Potestas enim quæ propriè, quæ statu, conditione, objecto & actibus est Ecclesiastica, & Ecclesiasticè exercetur, quà talis, potestati quæ statu, conditione, & actibus talis non est, nec Ecclesiasticè exercetur, sed tantum impro-

impropriè Ecclesiastica vocatur, proprie non subjicitur.

Præcognitum sextum, *Architectonica seu regia potestas, cum omnibus det leges, jura conferat, officia distribuat, ad commodum civitatis & singulorum: non omnia tamen ipsa sustinere aut peragere debet vel potest: Alia quidem per defectum juris, ut usurpare, possidere, distrahere, alienare res subditorum, uti uxore subditi ut sua: sic subire munia Ecclesiastica non potest ob defectum juris ex limitatione divina,* Vos autem non sic. *Alia verò per defectum facultatis in ipsa, ut facere Medicinam, docere in Academia: Alia verò per defectum dignitatis in rebus ipsis, quæ cum sint sordidæ in Majestatem non cadunt, ut suere calceos, fodere arenam, exercere cauponariam, &c. Hec sunt manifesti juris.* Hoc præcognitum manifestè evertit subordinationem potestatis Ecclesiasticæ sub Architectonica civili. Nam si architectonica hæc potestas non potest obire munia Ecclesiastica ob defectum juris, non est ipsi jus & potestas in munia Ecclesiastica. Si enim jus hoc & potestas penes illam esset, non deesset illi jus obeundi munia Ecclesiastica. Et hoc magis est manifestum ex eo quod hic defectus juris in illa sit ex limitatione divina. Unde enim ista divina limitatio, nisi ex eo quod Deus duas illas potestates, Ecclesiasticam sc: & Civilem, ipse ordinarit, ipse distinxerit, ipse sibi imme-

diatè

diatè subjecerit? Rectè adducuntur exempla usurpandi, possidendi, &c. res subditorum, utendique uxore subditi ut sua. In illa enim Deus supremæ in terris potestati jus & potestatem non concessit. Erant quippe illa à Deo constituta & ordinata antequam constitueretur potestas humana, quæ dicitur architectonica, cui proinde injunctum jus singulorum in suas res, in uxores suas, &c. integrum & inviolatum potestate sua coactiva conservare. Sic & Christus, quum introduxit regnum suum spirituale, cum ejus ministerio, in hunc mundum, injunxit supremis Magistratibus illud agnoscere, & authoritate sua munire, atque ab omni injuria externa vindicare. Hæc etiam sunt manifesti juris. Nec nisi hæc sint manifesti juris, non sunt & ea manifesti juris quæ præcognitum istud dicit de defectu juris in architectonica potestate ad obeundum munia Ecclesiastica.

Præcognitum septimum. *Architectonica seu regia potestas tantò perfectius disponet leges ad utrumque bonum spirituale & civile, quantò ipsa erit perfectior. Tanto autem erit ipsa perfectior, quanto perfectius bonum utrumque habebit cognitum, ex se, vel in se, per alios. Perfectior ergo est hæc potestas in rege & principe Christiano, quam in rege & principe simpliciter, vel non Christiano. Nam hic quidem cognitum habet bonum civile, sed spirituale verum bonum ignorat*

ex se

ex se & in se per alios. Ille verò utrumque bonum cognitum habet, civile quidem ex se lumine naturæ, & in se per alios, institutione, experientia, & consilio prudentum: spirituale verò in se illuminatione divina, institutione, studio, precibus, & consilio Theologorum. Quid sit de dispositione legum circa bonum spirituale ex præcedentibus potest intelligi, & sequentia amplius declarabunt. Est certè in Magistratu Christiano major perfectio quoad aptitudinem ad fungendum munere suo, & ad promovendum authoritate suæ bonum spirituale subditorum; quamvis non sit major & amplior potestas. Hinc quidem sequitur, Quod inter regiam potestatē Christianam & non Christianam plurimum intersit: sed non sequitur hoc discrimen quod D. Pareus inter eas isto loco ponit; *Quod sc: non Christiana quidem homines regat ut sunt homines, Christiana verò etiam ut sunt homines Christiani.* Nam homines Christiani, quà tales, sunt membra Ecclesiæ: qui autem reguntur ut membra Ecclesiæ reguntur Ecclesiasticè: at D. Paræus modo dixit, Potestatem civilem, etiam ipsam architectonicam, non regere Ecclesiasticè. Si Magistratus Christianus subditos suos regit ut Christianos, potest illos cogere ad religionem Christianam exercendam, sicut quos regit ut homines cogere potest ad publicam pacem ac tranquillitatem, ad vectigalia solvenda,

venda, & alia similia. Verum quandonam dedit Christus Magistratui Christiano potestatem Christianos qua Christianos regendi? aut ubinam injunxit Magistratibus ut Christianos suos, oves suas, ut tales regant? Non dictanda sunt hœc, sed firmis fundamentis stabilienda & rationibus probanda. Sic fuere considerata Præcognita.

Præcognitis subjicit Propositiones aliquot non controversas: non controversas sc: inter Pontificios & Reformatos. Propositio prima est. *Errant qui docent Reges tantum debere curare suam rempublicam, & pacem publicam: de religione autem nihil curare.*

Secunda est, *Magistratus aliquam curam circa religionem, ecclesiam, & ecclesiasticos habere debet.*

Tertia, Magistratus Christianus non debet confusionem in religione permittere, sed solam veram religionem tueri atque defendere.

Quarta, *Principes Christiani debent edictis & pœnis impedire blasphemias, hæreses, idola, sacrilegia, &c.*

Quinta, *Magistratus civilis non debet sibi sumere partes ministerii Ecclesiastici proprias, ut sunt prædicare in Ecclesia, ligare, solvere, administrare sacramenta, &c.* Rationes quibus ista propositio probatur sunt consideratione dignæ. Sunt autem hæ duæ. Prior est. *Quia non sunt ad hoc vocati, quia ipsis non est dictum,* Euntes doce-

te

te omnes gentes, & Baptizate eas, &c. *At sine vocatione nemo debet sibi ministerium sumere.* Heb. 5. *nec esse* ἀλλοτριοεπίσκοπος. 1. Pet. 4. v. 15. *Quisque verò in vocatione in qua vocatus est manere debet.* 1. Corinth. 7. v. 20. Posterior, *Quia incurrerent sacrilegium Ieroboami & Vsiæ, volentium adolere incensum: quorum illi manus exaruit, hic lepra percussus est.* 1. Reg. 13. 2. *Paral.* 26. Hæc architectonicam illam potestatem in rebus Ecclesiasticis planè destruunt.

Sexta est, *Nec habet potestatem Princeps de Religione, fide, doctrina, & cultu Dei quicquam statuendi aut præcipiendi pro arbitrio, sicut fecit Ieroboam, Nabuchodonosor, &c.* Rationes subjectæ dignæ sunt quas hîc annotemus. 1. *Quia religio est circa bonum supernaturale: At hoc non est de arbitrio Principis, sed Dei.* Ezech. 20. Quæ ego præcipio vobis ea facietis 2. *Quia fides est ex auditu verbi Dei: non ergo ex auditu verbi Principis.* 3. *Omnes* ἐθελοθρησκεῖαι, *& doctrina hominum circa cultum, damnantur* Iesa. 29. Matth. 15. Coll. 2. *At arbitrium Principis de religione absque verbo Dei esset* ἐθελοθρησκεία. 4. *Ne quidem Episcopi possunt præcipere de fide aut cultu suo arbitrio, quia prævaricarentur, non docentes ea quæ præcepit eis Christus* Matth. 28. *Ideo reprehenditur Aaron Pontifex cultum vituli instituens: damnantur falsi prophetæ, sacerdotes, pseudo*

do-Apostoli, hæretici à Christi doctrina declinantes: Ergo multò minus id possunt Principes. 5. Exempla idem confirmant. Damnatur Ieroboam Rex cultum vitulorum pro imperio instituens: Achab Baaliticum cultum invehens: Achas altare Damascenuum in templo collocans: omnes denique Reges excelsa ædificantes. Hæc omnia rursum pugnant cum architectonica illa potestate.

Septima est, *Christiani Principes Ecclesiæ Pastores & Ministros reverenter habere, honestè alere ac tueri, eorumque ministerio, hoc est, doctrinæ at disciplinæ, juxta verbum Dei, subesse & obtemperare per conscientiam tenentur.* Neque hæc cum Architectonica potestate consistere possunt. Nonnnulla hîc sunt in rationibus consideratione digna. 1. *Quod Pastores sunt Ministri Christi, legati Dei, & dispensatores mysteriorum ejus.* 1. Corinth. 4. 2. *Quod omnibus Christianis mandatur,* Hunc audite, *Omnes igitur debent esse dicto audientes Christo: proinde & Legatis ejus atque Ministris.* 3. *Oves debent audire suos pastores in quantum pastorum munus peragunt:* 4. *Principes Christiani, licet, ratione officii civilis & proprii, sint potestates supereminentes, cuivis animæ, etiam Pastoribus Ecclesiæ Dei, præfecti: tamen ratione officii moralis & communis, quod circa fidem & pietatem versatur, etiam in ovium numero, & in membris Ecclesiæ censentur. Ergo pastoribus Ecclesiæ verbum*

Dei

Dei afferentibus, & munus pastorum facientibus, subesse debent in iis quæ sunt ministerii propria. Hinc evidentissimè sequitur, Magistratus, etiam supremos, in iis quæ ministerii Ecclesiastici sunt propria non habere potestatem architectonicam. Nam certè nemo subesse tenetur ei in quod achitectonica pollet potestate.

Propositio octava ipsi est thesis controversa, quæ sic habet, *Potestas civilis νομοθετικὴ seu regia, sicut circa bonum civile subditorum debet curare ut jus vigeat in republica secundum leges: sic circa bonum spirituale subditorum debet curare ut pura religio vigeat in Ecclesia secundum verbum Dei*. Quia D. Paræus supræmæ potestati civili tribuit, non tantum curam juris in republica secundum leges, sed etiam puræ religionis in Ecclesia, rogatum velim num suprema potestas in Ecclesia circa bonum spirituale penes eundem sit, penes quem suprema potestas circa bonum civile viget in Republica? Contrarium supra satis superque est demonstratum. Quapropter thesis ista cum iis quæ hactenus tradita sunt conciliari non posse videtur. Sic ergo illa corrigenda erit. Sicut suprema potestas civilis circa bonum civile subditorum curare debet ut jus vigeat in republica secundum leges: ita circa bonum spirituale subditorum debet curare ut in eadem sua republica pura religio secundum verbum Dei publi-

publicè doceatur & exerceatur; adeoque ut Ecclesia Christi, quæ ante latere debebat persecutionis causa, in publicum liberè prodeat, ministerioque suo & directione, juxta Christi capitis sui institutum, liberè in publico utatur. Sic supremus Magistratus civilis manebit civilis, & continebit se intra terminos suos; alioqui potestas civilis cum Ecclesiastica misceretur.

Propositio hoc modo restituta controversa esse non potest, nisi præcedentes propositiones, prima, secunda, tertia, quarta, quas non esse controversas dixit D. Pareus, pro controversis habendæ sint. Sic autem sibi contradiceret. Controversia igitur omnis secundum octavam illam propositionem hic maneret, *An potestas illa suprema, qua circa bonum civile competit Magistratui supremo in Republica, ei competat circa bonum spirituale in Ecclesia?* Quid de illa controversia sentiendum sit ex antedictis satis est manifestum. Huc tamen tendere debebit ista D. Parei controversa propositio, eaque ratione, quamvis multa dicat quæ illi repugnent, debebit tandem concedere in partes Arminianorum, & cum ipso omnes illi qui istam propositionem defendere volent. Quid enim quæso interest? sive dicas cum Pareo, *Vtramque potestatem, tam Ecclesiasticam, quam Politicam simpliciter sic dictam, subordinari Potestati civili Architectonicæ; ideoque Potestatem Civilem Architecto-*

chitectonicam, sicut circa bonum civile subditorum debet curare ut jus vigeat in republica secundum leges: ita circa bonum spirituale subditorum debere curare ut pura religio vigent in Ecclesia secuundum verbum Dei: sive cum Utenbogardo, *Supremum Magistratum à Deo constitutum esse ad utrumque curandum, tam quod Ecclesiasticum est, quam quod Politicum: eundemque curare ut id quod Spirituale est administretur per Ministros verbi: ministrosque illos verbum Dei administrantes juxta Dei mandatum, administratione illa sua fungi ex pracepto Magistratus sui, ut qui munus illud vice ac nomine Dei illis imposuerit:* aut cum omnibus simul Arminianis communiter, *Architectonicam potestatem regendi Ecclesiam, immediatè sub Christo, competere supremo Magistratui Christiano.* Quapropter propositioni isti octavæ D. Parei adstipulari non possiumus, & quidem ob rationes satis graves, quas lector prudens ex iis quæ hactenus tradita sunt facile perceperit. Unde etiam factum quod ad Pontificiorum argumenta quæ ex Stapletono collegit, non dextrè satis aut prudenter per omnia responderit, quod in sequentibus, Deo opitulante, distinctè ostendemus.

CAP.

Cap. XI.

In quo ostenditur Sententiam nostram nihil cum Papismo commune habere.

ARminiani superiorem D. D. Professorum sententiam, quâ architectonicam in rebus Ecclesiasticis potestatem, Magistratui negatam, soli Christo vindicant, annotatione aut Censurâ suâ explicatam, *ipsissimum Papatus, Papalis imperii, arcanum esse* dicunt: quin & hoc adeo clarum ac perspicuum esse censent, ut qui non videat meridie ipso cæcus sit. D. Nicolaus Vedelius Professor Franekeranus, quod cum mærore admirabundi dicimus, criminationem hanc impingit aliis quibusdam Orthodoxis in Hollandiâ. Dicit enim in præfarione nuperrimi sui libelli de *Episcopatu Constantini Magni*, *intellexisse se esse quosdam qui res novas moliantur in Ecclesia, & introducere conentur doctrinam Pontificiam de Potestate Magistratus in rebus Ecclesiasticis: Atque, ut eo suo fine potiri queant, adornare eos jam libellum in Hollandia brevi committendum prælo,* in quo sc. ista doctrina Pontificia doceatur & inculcetur. Attamen non scimus ab ullo aliquo Orthodoxo, qui qui vel maxime ab Arminianorum & Utenbogardistarum sententiâ absit, potestatemque Ecclesiasticam urgeat, aliam de Potestate

Potestate Magistratus in rebus Ecclesiasticis foveri vel tradi doctrinam, quam quæ in superiori D. D. Professorum in Arminianorum opinionem Censurâ summatim est comprehensa. Quare snbversâ Arminianorum in istam D. D. Professorum Censuram calumniâ, profligata plane est ista criminatio, consultumque hac in parte honori omnium orthodoxorum. Calumniam vero illam ab ipso fundamento subrutam & eversam vidimus in præcedentibus. Possemus ergo in ista proflligatione tutò acquiescere, & ulteriori, in abolenda ista calumnia, labore supersedere, donec, vel Arminiani, vel ipse D. Vedelius, illi quidem clarius & efficacius; hic verò vel unica ratione eam probet, aut probare saltem conetur: verum quia atrox est calumnia, & res magni momenti: quia etiam in hac causa adeò tenera, apud homines rerum divinarum non satis gnaros facili negotio male audit potestas Ecclesiastica, & calumniæ hujus retusio forte lucem aliquam toti huic rei fenerabitur, agite, cum bono Deo, cujus causam hîc agimus, ostendamus breviter, quantum sententia D. D. Professorum, adeoque & nostra, à sententia & doctrina Pontificiorum absit: & quidem tanta perspicuitate, ut qui hoc non videat vel in ipso meridie cæcus sit, vel ad lucem meridianā oculos suos contumaciter & præfracte claudat.

Armi-

Arminiani dicunt, *Architectonicam potestatem sub Christo immediate attributam Ministris Ecclesiæ ipsissimum esse Papatus corculum atque medullam, ex qua cætera omnia quæ Papa jam usurpat tam necessario fluunt quam calor ex igne.* Apol. Fol. 299. Recte, sic & nos sentimus. Nihil enim est Papatus, nisi architectonica illa potestas immediate sub Christo tributa Pontifici Romano ut Christi vicario, quocunque demum id fiat fine aut modo, ut in Papatu diversimode de illa sentitur. Quare sublata illa architectonica potestate, exectum est Papatus corculum, exhausta medulla, peritque omnis vigor ejus ac vita; cæteraq; omnia quæ Papa jam usurpat, tam necessario exarescunt & evanescunt, quam fonte & rivulo, vel arefacto, vel obstructo, necessariò exarescit fluvius. Sed architectonicam illam potestatem à nemine nostrum ullis Ecclesiæ Ministris tribui, & jam dictum est, & deinceps per partes demonstrabitur.

1. In papatu architectonica illa potestas tribuitur primum Ecclesiæ, Ecclesiæ sc: repræsentativæ, ut dici solet, id est Ecclesiastico conventui eorum qui Ecclesiam regunt eive præsunt: unde porrò derivatur potestas unius summi Episcopi & Capitis Ecclesiæ. Et ita quidem potestas ista Ecclesiæ tribuitur ut quilibet teneatur ei credere & obædire in omnibus, nec liceat cuipiam

piam id quod ab Ecclesia traditur, vel in dubium vocare, vel ad amussim verbi divini examinare. Hinc omnes Ecclesiæ doctrinæ absque ullo dubio amplectendæ, omnes leges & traditiones simpliciter cæca obædientia servandæ: verbum Dei eo sensu quo id intelligi vult Ecclesia intelligendum, quin & ipsum Dei verbum non amplectendum, nec pro tali habendum, nisi ex authoritate Ecclesiæ: Hoc etiam fine laicis, quos vocant, lectione S. Scripturæ interdictum, quandoquidem firma & indubitata fide, id omne pro divino oraculo, & certissimo ac infallibili Dei testimonio, haberi debeat quod Ecclesia ex illa sua authoritate pronunciaverit.

2. Est in Papatu insignis & splendida Hierarchia, non tantum Episcoporum, quibus Pastores & Præsbyteri subsint, sed & Archiepiscoporum, quibus inspectio in Episcopos est demandata, imò & Universalis cujusdam Episcopi omnium, quin & totius Ecclesiæ, quem proinde Caput Ecclesiæ universalis appellant. Huic, vel soli, vel simul cum concilio, architectonicam illam immediatè sub Christo deferunt potestatem. Quia, remoto Dei verbo, Ecclesiæ simpliciter credi volunt, ideo sentiunt debere in Ecclesia dari infallibilem aliquam authoritatem, cui se anima quævis, sine ulla controversia submittere debeat & possit. Hanc alii posuere, ponuntque, in uni-

versali illo Episcopo, Pontifice (ut vocant) vel Papa Romano, utpote quem Christi in terris vicarium, Petri Apostoli, cui privilegium istud à Christo traditum esse prætendunt, successorem, & visivile Ecclesiæ caput faciunt. Sic Canonistæ, & alii qui Papam volunt esse supra Concilium: Alii autem posuere in Concilio oecumenico legitimè congregato, cui Christus adsistentiam Spiritus sui certissimè promiserit & præstet. Sic, qui voluerunt concilium statui supra Papam: Alii denique in Concilio simul cum Papa, vel in concilio à Papa approbato. In quam sententiam maximè jam consentire omnes videntur. Vident enim Concilia fædè aliquando errasse: Putant nonnulli nimium Papæ tribuendum fore, si concedatur quidvis ipsi, pro arbitrio, sine Concilij judicio aut sententia, licere. Concilium etiam errori per se obnoxium esse diffiteri non audent: itaque in Concilii judicio, & Papæ approbatione ac confirmatione, tutissimè acquiescere se posse existimant. Volunt ergo Ecclesiam esse instar Monarchiæ alicujus terrestris, aut regni mundani, puta Imperii Romani, regnive Hispanici, aut Gallici, &c. in quo summa quidem penes unum sit potestas, sed qua utatur ex consilio summi senatus aut parlamenti, ut vocant. Quum constringuntur Potestate summa Jesu Christi Filii Dei, unici regis regni sui spiritualis, excipiunt illum esse re-

gem

gem invisibilem; utpote in cælis longissimè ab oculis nostris remotum, sedentem sc: à dextris Patris sui: Debere autem dari regem aliquem, rectorem, & caput visibile, qui, ratione in oculos incurrente, Ecclesiam hîc in terris regat, ad quem in controversiis omnibus & dubiis gravioribus recurrendum sit. Atque hunc immediatè sub Christo habere potestatem architectonicam in rebus Ecclesiasticis. Hîc ergo, in Papatu sc:, est architectonica Ecclesiastica potestas immediatè sub Christo.

Unde 3. prodit Collateralitas Papatus & Regnorum mundanorum; sive Potestatis Ecclesiasticæ in Papatu, & Potestatis Politicæ in regnis & supremis principatibus mundanis. Nam sicut Papa Romanus, ut visibilis Ecclesiæ Monarcha, & summus Princeps, potestate architectonica, quam habet immediatè sub Christo, regit & gubernat omnia Ecclesiastica: ita Reges, & supremi Magistratus, potestate sua architectonica, quam immediatè habent sub Deo, regunt & gubernant omnia Politica. Et vice versa.

Verum 4. Quia illic docetur omnes omnino quotquot sunt homines, cujuscunque sint sortis & conditionis; infimæ non tantum & mediæ, verum & summæ, debere potestati illi Ecclesiasticæ architectonicæ in Papa residenti, quoad religionem & res Ecclesiasticas, subesse, hinc oritur

superioritas quædam potestatis Ecclesiasticæ in Politicam, & subordinatio Politicæ sub Ecclesiastica, in rebus sc: religionem & culrum divinum spectantibus. Nam sicut unusquisque pro se tenetur illam amplecti doctrinam, illamve exercere religionem; & quilibet Paterfamilias eam docere, vel in ea enutrire, familiam suam, quam ipsi Ecclesiastica illa potestas præscripserit: ita & tenetur quilibet summus Magistratus, authoritate sua munire ac stabilire religionem, ex nutu & præscripto Papalis illius Potestatis.

Quintò autem eò arrogantiæ & impudentiæ tandem processum, ut Papæ Romano tributa sit potestas summa in regna mundi & imperia, ita ut ea pro arbitrio dare & adscribere possit cuicunque voluerit. Per adventum enim Christi, & introductionem Christianæ religionis in mundum, potestatem Principum hujus seculi traductam esse dicunt ad Ecclesiam, datamque Romano Pontifici, ut veri atque summi Regis Iesu Christi vicario. Sed in hoc non omnes consentiunt. Quidam enim nimis arrogans hoc esse censent, durumque ac rigidum in summos Reges ac Principes imperium: quare illorum potestatem immediatè soli Deo subjiciendam esse statuunt. Alii verò pro absoluta illa Papæ potestate, tanquam pro aris & focis, dimicant, dicentes non posse Ecclesiam in tuto poni, nisi

abso-

absoluta illa potestas Pontifici suo integra adseratur. Hinc acriter inter illos dimicatum. Alii ergo mediam quasi viam insistendum sibi judicarunt, ne sc: ab una parte potestatem Regum ac Principum nimis deprimerent, nec ab altera Pontifici eam potestatem detraherent, qua illos in ordine & obædientia continere posset: qui itaque sic distinguendum judicant. Papam, ut Papam, non habere directè & immediatè ullam mundanam aut temporalem potestatem, sed tantum spiritualem: Ita tamen ut indirectè, ratione & respectu potestatis spiritualis, summam habeat potestatem in res mundanas & temporales. Sed litem hanc nos ipsis committimus.

Hæc omnia ex Papistarum scriptis notissima sunt. Puto autem me in quinque istis capitibus ea omnia summatim comprehendisse, quæ in potestate Pontificia Ecclesiastica, tum in se, tum respectu potestatis politicæ, meritò reprehenduntur. Nihil autem horum in sententia nostra de Potestate Civili & Ecclesiastica deprehenditur. Dicant nunc Arminiani, dicat D. Vedelius, dicant alii calumniatores, quid sit quod cum nostra sententia conveniat. Omnia repudiamus, omnia reprehendimus, omnia refutamus, tum in scriptis, tum in concionibus nostris, quam acerrimè: quare & in hoc scripto omnia illa ab sententia nostra quam longissimè abesse

evidenter demonstravimus. Non opus est ergo ut per partes id probatum eamus. Res ipsa loquitur disertissimè: & impudentissimum ac nequissimum calumniatorem esse oporteat, qui unum horum, vel levissima suspicione, sententiæ nostræ affingere audeat. Quum ergo sententia nostra cum omnibus illis nihil habeat commune, quid (quæso) fingi poterit in quo ad Papismum accedere nonnihil videatur? An hæc satis gravis causa erit Papismi nos accusandi, quod Magistratui supremo architectonicam in rebus Ecclesiasticis potestatem non adscribamus? Sed sic ipse Christus Papismi accusandus erit quod potestatem istam illis non tribuerit. An hoc quod ministros Ecclesiæ Potestati politicæ non subjiciamus, vel illorum potestatem à Politica non arcessamus, sed ad Christum immediatè referamus? Sed sic Christus Papismum constituisse dicendus erit, ut qui sibi vindicans summam potestatem Ecclesiasticam, Ministros suos extraordinarios ipse immediatè misit, ordinarios verò sequentes per Ecclesiam suam mitti & vocari curavit. An verò quod Magistratui Christiano potestatem illam architectonicam sub Christo non deferamus? Atqui Christus id non præcepit, Apostoli id nusquam docuerunt. Quare nihil habemus in verbo Dei quod nos doceat potestatem istam architectonicam Magistratui Christiano

ſtiano adſcribendam eſſe. Veremur autem ne ſi quid extra aut præter verbum Dei audeamus, id jure pro Papiſtico habeatur. Quapropter ſi tale quid habent, aut in verbo Dei invenerunt, architectonicæ illius poteſtatis patroni, id monſtrent nobis: Æquum enim eſt ut verbo Dei obædiamus, & unicuique eum deferamus honorem, eamque poteſtatem, quam Deus verbo ſuo ei adſignavit. Sed ſi hoc nomine Papiſmi rei haberi mereamur, quod Miniſtros Eccleſiæ non ſubdamus architectonicæ Chriſtiani ſupremi Magiſtratus poteſtati, & illi ipſi calumniatores Arminiani Papiſmi rei cenſendi ſunt, ut qui ſectariorum omnium cœtus, ac proinde & ſuos, extra publica templa convenientes, & publicis ſtipendiis non fruentes, architectonicæ ſupremi Magiſtratus poteſtati ſubtrahunt. Ita ſuo ſe ipſos gladio jugularunt.

Supra, cum Arminianorum ſubordinationem, qua poteſtatem Eccleſiaſticam Politicæ ſubjiciunt, conſideravimus, oſtendimus eam novum aliquem Papiſmum Politicum in Eccleſiam introducere, & quidem inverſo illorum argumento, quo ſententiam noſtram Papiſmi convincere nituntur, vid: quod *Supremo Magiſtratui adſcribant poteſtatem architectonicam in rebus Eccleſiaſticis immediatè ſub Chriſto*. An concedent ſe ejuſmodi politicum Papiſmum moliri? non credo. Qua ratione ſe

ex illa difficultate expedient? Hoc uno se evadere posse putant, quod Magistratui tribuant potestatem statuendi de rebus religionem & Ecclesiam Dei concernentibus ex solo verbo Dei, sive juxta normam ejus. Quin & hoc Papistæ volunt. Nec enim concedunt Papæ potestatem statuendi quidpiam contra aut præter verbum Dei. Sed, dices, illi adscribunt Papæ infallibile judicium in quo acquiescere quilibet debeat, haud aliter ac in judicio ipsius Christi, si ipse in terris præsens adesset; quod subordinatione illa supremo Magistratui non adscribitur. Rectè. Nec id fieri debet. Itaque ibi dissidebit Magistratus supremus à Papa. At si supremus Magistratus sibi tribuat potestatem præscribendi Ministris Ecclesiæ docendi formulas; ut, statim post habitam super quinque Remonstrantium articulis Collationem Hagiensem, factum fuit in Hollandia Anno 1614. eisque cum mandato præcipiendi ut conciones suas secundum eas dirigant, non obstante gravi Pastorum de iis querimonia, quantum hoc à Papatu aberit? Quid etiam tali onere pressæ Ecclesiæ faciendum? An obædiendum simpliciter? An verò contra nitendum, & conciones, non ad istarum formularum, sed ad verbi divini præscriptum dirigendæ? Si simpliciter obædiendum, habemus ipsum politicum Papismum. Si formulæ ad normam verbi divini exi-

ni exi-

ni exigendæ, & illi non conformes rejiciendæ sunt, cadit Architectonica supremi Magistratus in rebus religionis potestas, & Ecclesiasticæ potestatis sub illa subordinatio. Hoc posterius autem dicendum, cum Architectonica illa potestas verbo Dei subjecta dicitur. Ergo architectonica ista potestas à Papatus crimine, sive arrogantia & tyrannide, ex eo defenditur, quod ita verbo Dei sit subjecta, ut mandata ejus religionem concernentia ad illud examinare, &, si illi dissentanea sint, obædientiam eis negare liceat. Et sic nos subjicimus verbo Dei potestatem Ecclesiasticam. Præterea ministerialem planè eam facimus, & vi coactiva vacuam, cum tamen Politicam, quam illi Architectonicam dicunt, supremam in terris agnoscamus, & vi coactiva armemus. Quæ ergo hîc vel minima species Papalis arrogantiæ? Rationi enim, qua sola architectonicam civilem potestatem à Papatus crimine illi absolvunt, nos adhuc aliam adjicimus, qua potestatem Ecclesiasticam ab eo immunem præstamus, & quidem maximè fundamentalem, quod scil: potestas illa planè ministerialis sit.

Cap. XII.

In quo expenduntur ea quæ è S. literis, pro architectonicâ supremi Magistratus in rebus Religionis potestate, & Ecclesiasticæ potestatis sub eo subordinatione, proferri solent.

AD potestatem illam supremi Magistratus architectonicam, & Ecclesiasticæ potestatis sub illa subordinationẽ demonstrandam, plerumque proferuntur exempla supremorum Magistratuum ac Regum in populo Israelitico & Iudaico, quorum in S. Scriptura Vet. Test. crebra est mentio, quique dicuntur illic res religionis & Ecclesiæ authoritate sua curasse & direxisse: Quales fuere *Moses*, qui integram Religionem Israeliticam nomine Dei populo Israelitico præscripsit, & Aaronem fratrem suum Sacerdotem unxit: *Iosua*, qui religionem illam, postquam populum in terram Caaniticam introduxisset, publicè in ea exerceri præcepit: *David*, qui ordinem constituit inter Sacerdotes Leviticos, & formam templi extruendi filio suo Salomoni tradidit: *Salomon*, qui templum ad formam istam extrui curavit, illudque cultui divino consecravit: *Iosaphat* denique, *Hiskias*, & *Iosias*, qui verum Dei cultum

col-

collapsum restaurarunt. Hisce exemplis magnum inesse pondus ad sententiam suam probandam existimant architectonicæ illius potestatis patroni. Quare diligenter expendendum num tale quid ex iis extrui possit.

Hoc ut rectè fiat observandum primo, Aliam esse rationem Ecclesiæ, quoad formam externam, Veteris, aliam Novi Testamenti. In populo enim Israelitico, sub Testamento veteri, Ecclesia cum Politia, sive republica, æquè late patebat, quia idem populus Ecclesia erat & Respublica. Sed sic se res non habet in Ecclesia novi Testamenti, utpote quæ ex omnibus populis & nationibus colligitur. Quare qui in Testamento veteri capita erant Reipublicæ, erant & capita illius populi ex quo tota Ecclesia constabat, quia Ecclesia tum temporis erat in solo isto populo: Ob quam quoque causam nemo extra illum populum, sive extra Ecclesiam, in caput aut regem populi illius eligi aut constitui poterat. Deut. 17. v. 15. Sed sub novo Testamento, pro supremis Magistratibus agnoscere debent fideles eos omnes qui populis, ad quos ipsi pertinent, summa cum potestate præsunt, sive fideles illi sint & membra Ecclesiæ, sive infideles & ab Ecclesia alieni, quippe qui eadem potestate imperant quibusvis suis subditis, sive fidelibus, sive infidelibus.

Secundò, Deum ipsum singulari qua-

dam ratione fuisse Dominum & Regem populi Israelitici, ut populi sui proprii & peculiaris, quem sc. ex omni populo sibi peculiariter elegerat. Quapropter & ipse Iudices ac Rectores successivè, alios post alios, nomine suo in eo constituit. Hinc factum quod cum populus ille, ad exemplum reliquarum gentium, Regem sibi dari postularet, Deus iratus Samueli dixerit. 1. Sam. 8. v. 7. *Se à populo isto repudiatum esse ne posthac esset* Rex illius. Quare & ipse Deus, tam Politicas illi leges dedit, quam Ecclesiasticas. Longè autem aliter se res habet in novo Testamento, cum Deus, universali sua potestate imperans omnibus nationibus, ex illis omnibus quaquaversum, pro beneplacito suo, spirituales subditos Filio suo colligit: unumquemque populum suis permittens uti legibus Politicis, præcipiensque spiritualibus Filii sui subditis, ut se submittant legibus spiritualibus, ab ipso in regno suo spirituali constitutis, ad hoc sc: datis, ut illi sui & Filii sui spirituales subditi, spiritualem obædientiam, quam ipse, ut Creator & munificus Conservator hominum, lege sua ab illis meritò postulat, quamque, propter nativam universalem corruptionem, præstare nec volebant nec poterant, gratia ipsius renovati, ultrò & liberè, ex filiali charitate & timore præstent. Unde sequitur quod relinquens politicas variarum regionum leges in variis

suis

suis circumstantiis illæsas, Magistratus quos ad se convertit, & filio suo morigeros reddit, ita verbo & Spiritu suo afficiat ac permoveat, ut curent ne Politicæ ipsorum leges, cum lege suâ morali, aut cum fundamento & substantia politicarum legum suarum, pugnent.

Tertiò, Iesum Christū Dei filium tū temporis non tam clare se exhibuisse Caput & Regem Ecclesiæ suæ, ac quidem nunc se exhibet, assumta humana natura, in qua ut θεάνθρωπος se exhibuit, non tantum ut Prophetam, verum etiam ut Sacerdotem & Regem, considentem ad dexteram Dei Patris, regentem populum suum efficaci sua potentia, & interpellantem pro eis. Quamvis enim tempore veteris testamenti, diversis vicibus & modis, nunc huic, nunc illi, ut legatus Patris sui apparuerit: non tamen familiariter adeo cum hominibus fuit conversatus, nec ita specialiter elegit ministros suos, quorum ministerio regnum suum per omnes populos & nationes totius orbis terrarum propagaret, ut fecit à sua in carne manifestatione. Quapropter multò evidentius nunc, quam tempore isto, patet conditio regni Christi, & spiritualis ipsius in illo potestas, sicut & spiritualia Christi beneficia nunc multò clarius ob oculos ponuntur, & diversis nationibus per totum terrarum orbem communicantur. Ad quod respexere omnia Veteris Testamenti

menti vaticinia, quæ passim in Psalmis & apud Prophetas inveniuntur, præclara admodum, de constitutione, propagatione, gloria, privilegiis, & beneficiis regni Dei prænunciantia.

Ex quibus quarto sequitur, Sicut isto tempore ceremoniæ multæ respexerunt & adumbrarunt Christum, cum sacrificio, operibus, ac beneficiis ipsius: ita & aliquos ex Primoribus & Regibus, sive summis istius populi Magistratibus, fuisse typos Iesu Christi, ut regis Ecclesiæ suæ spiritualis: qui etiam ea de causa, ut Iesum illum Christum præfigurantes, quid singulare & extraordinarium perpetrarunt; cui simile in nullis Regibus aut supremis Magistratibus sub novo Testamento reperitur.

In his omnibus magnum se exhibet discrimen inter externam administrationem Ecclesiæ Veteris & Novi Testamenti. Unde facile est colligere, à ratione gubernationis & politiæ Vet. Testamenti, non rectè argumentum duci ad probandam rationem politiæ Novi Testamenti. Quare etiamsi Reges & supremi Magistratus illius temporis plusculum sibi sumsissent, aut amplius quid concessum illis fuisset, in causis religionem concernentibus, id tamen nihil præscriberet Ecclesiæ Novi Testamenti. Quod consideratione aliqua hîc dignum est. Nihilominus exempla ipsa considerabimus, expendentes num architectopica

nica potestas in rebus Ecclesiasticis supremi illius temporis Magistratibus tributa, aut potestas Ecclesiastica potestati Politicæ subjecta tum fuerit.

Ad exempla ergo ista particulatim dicimus primò. Primos illos populi Israelitici Duces *Mosem* & *Iosuam*, Reges quoque *Davidem* & *Salomonem*, non tantum Duces & supremos populi illius Magistratus, sed & Prophetas fuisse. De Mose notum est quod non tantum Propheta fuerit, verum & insignis Propheta, ac summus quidem Propheta omnium Prophetarum Vet. Testamenti. Id Deus ipse disertè testatur, cum discrimen ponit inter Mosem & reliquos istius ævi Prophetas. Num. 12. vers. 6. 7. 8. ubi in hæc verba Aaronem & Miriam alloquitur. *Si Propheta vobis, ego Iehovah in visione apparebo illi, in somnio loquar cum eo. Non sic servus meus Mose, qui in tota domo mea fidelis est: Ore ad os loquar cum eo, & non per ænigmata, neque per similitudinem Iehovæ aspiciet.* Hinc etiam est quod cum summus & universalis totius Ecclesiæ catholicæ Veteris & Novi Testamenti Propheta Israelitis promittitur, ut ab illis summa cum reverentia audiendus, ille ipse Mosi similis esse dicatur. Deut. enim 18. vers. 15. sic ait Moses, *Prophetam è medio tui, è medio fratrum tuorum, ut ego sum, suscitabit tibi Iehovah Deus tuus*: & v. 18. sic ipse Iehovah. *Pro-*

phetam suscitabo illis de medio fratrum suorum sicut tu, & ponam verba mea in ore ejus. Quare cum Mosem à morte ipsius Sacra historia commendat, docetq; quantus & qualis ille fuerit, dicit Deut.34. v.10. *Non surrexit Propheta ultra in Israelę sicut Moseh*, quem *nosset Iehovah facie ad faciem*. Hoc de Mose. *Iosua* extraordinariis Spiritus sancti donis à Deo instructus fuit, quod patet in publica ejus inauguratione, qua, ex peculiari Dei mandato, Mosis successor in præfectura & regimine populi illius à Deo fuit declaratus. Num.27.v.16.17.18.&c. Cũ enim Moseh dixisset, *Præficiat, Iehova, Deus spirituum omnis carnis, virum super congregationẽ, qui egrediatur ante eos, & qui ingrediatur ante eos* &c. dixit Iehovah Mosi. *Cape tibi Iehosua filium Nun, virũ in quo est spiritus, & imponas manũ tuam super eum, statuasque illum coram Eleasar sacerdote, & coram universa congregatione, & dabis illi mandata in oculis eorum: & pones de gloria tua super illum, ut audiat illum universa congregatio filiorum* Israel. Ios.24. v.29. appellatur *Servus Iehovæ*, quod nomen passim in S. Scriptura Prophetis datur. Accedit quod Filius Dei aliquoties illi apparuerit, & cum eo sit collocutus, quodque Deus per manum, aut sub manu ipsius, insignia opera, naturæ leges superantia, fecerit, quodque historia ab ipso conscripta inter sacras Veteris Testamenti canonicas

historias

historias recenseatur. De *Davide* etiam nemo dubitat, quin Rex non tantum fuerit, sed & Propheta insignis. Hac de causa gratiam Dei eminentissimam erga se, inter ultima sua verba hoc modo deprædicat. 2. Sam. 23. v. 1. 2. 3. *Dixit David Filius Isai, dixit vir qui constitutus est excelsus, unctus Dei Iacob, & dulcis in carminibus Israelis: Spiritus Iehovæ loquutus est per me, & sermo ejus per linguam meam: Dixit Deus Israelis mihi, loquutus est fortis Israelis,* & quæ sequuntur. De Salomone etiam simile sentiendum, quandoquidem scripta ipsius, Ecclesiæ Dei tradita, juxta scripta Mosis, Iosuæ, & Davidis, pro canonicis, id est, Spiritu Dei afflante & dictante compositis, & Ecclesiæ ad ejus institutionem commendatis, habentur: adeoque pro sermone Prophetico, de quo Petrus 2. Epist. cap. 1. vers. 19. quem vocat *firmiorem srrmonem Propheticum, ad quem attendendum sit tanquam ad lumen splendens in obscuro loco.* Ex illis omnibus fit manifestum, Duces istos ac Reges populi illius, non tantum supremos fuisse Magistratus, sed etiam Prophetas, & extraordinarios divinæ voluntatis inter Deum & populum internuncios. Quare ex illorum actionibus, prærogativis, ac privilegiis, quibus Deus illos exornavit, male arguitur potestas communis omnibus Regibus ac Magistratibus supremis. Nam in constituendis & dispo-

nen-

nendis rebus quæ ad religionem pertinent, non gesserunt se simpliciter ut Magistratus & Præfectos populi, sed etiam, imò præcipue, ut divinæ voluntatis extraordinarios interpretes. Certe si id quod in rebus religionem concernentibus egerunt, non egerunt ut Prophetæ, per quos Deo placuit voluntatem suam populo suo notam facere, sed ut supremi Magistratus, idem liceret & tribuendum esset omnibus Regibus ac supremis Magistratibus. Quod enim uni supremo Magistratui, quà tali, competit, hoc omnibus competit.

Secundo, Ipsi etiam Duces & Reges populi Israelitici, quos jam demonstravimus Prophetas fuisse, nihil in rebus Religionis constituerunt, ordinarunt, mandarunt, aut præceperunt sua authoritate, suo arbitrio, quia ipsis ita visũ esset, aut quia judicarent id esse è re populi sui (prout loqui solent supremi Magistratus, quando utuntur potestate sua architectonica) sed quicquid hic egerunt, id ex solo Dei diserto mandato à se actum & institutũ esse testati sunt. Eo enim fine ascendit Moses ad Deum in montem Sinai, ut cũ Deo illic loqueretur, & ab ipso præcepta de Religione acciperet. Exo. 19. v. 3. Quo fine & apud Deum mansit quadraginta dies, & quadraginta noctes, ut sc: perfecte à Deo de omnibus institueretur. Exod. 24. v. 18. ubi & inter alia hoc mandati à Deo accepit, *ut omnia faceret*

juxta

juxta similitudinem quæ ipsi à Deo in monte ostensa erat Exod. 25. v. 40. Iosuæ à Deo mandatum fuit Cap. 1. v. 7. *ut custodiret & faceret secundum omnem legem quam præceperat ipsi Moses servus Dei, neque ab eo declinaret, vel ad dextram, vel ad sinistram:* sicut & ante à Deo fuerat constitutum, *ut staret coram Eleazaro sacerdote, interrogaretque eum de judicio Vrim coram Iehovah; atque ut ad verbum illius, sc:* Eleazaris sacerdotis, *egrederentur, & ad verbum ejus ingrederentur, omnes filii Israel cum eo & tota congregatio* Num. 27. v. 21. Duplicem illic videmus restrictionem Iosuæ positam: priorem qua adstringebatur legi per Mosem latæ; alteram qua tenebatur voluntatem Dei, de reliquis quæ in lege Dei expressa non erant, percipere ex ore Eleazari sacerdotis. David, quamvis & Rex esset & Propheta, tamen prorsus nihil immutavit, non tantum in Religione, sed ne quidem in ordine sacerdotali, ita ut sacerdotium ab illis administrari curaverit quibus hoc à Deo commissum erat: quin & in ordine particulari, qui in tanta sacerdotum copia constitui necessario debebat, ut singulis suæ vices assignarentur, plane sequutus est præscriptum Dei. Disertè hoc docet S. historia. Cum enim Rex pius Hiskias, simul cum religione ordinem illum restauraret, dicitur 2. Paral. 29. v. 25. statuisse *Levitas in domo Iehova, cum cymbalis, psalteriis, &*

citharis,

titharis, juxta praeceptum Davidis & Gad videntis Regis, & Nathan Propheta, quia per manum Iehova illud fuit preceptum, per manum Phrophetarũ ejus. Unde intelligimus, ſicut, in reformatione illa, Hiskia nihil egit niſi juxta ordinationem tempore Davidis factam: ita Davidem, in illa ordinatione conſtituenda, nihil egiſſe ex abſoluta ſeu architectonica poteſtate Regia, ſed prorſus juxta mandatum Dei per Prophetas ipſi traditum. Sic etiam ea quæ Salomon, tum in templi extructione, tum circa eam egit, vel in iis quæ ad eam pertinebant, ea omnia egit ex Dei mandato, & juxta Dei præſcriptum, quod David pater ipſius, tum mediatè perceperat è Propheta Nathane, 2. Sam. 3. v. 13. tum ab ipſo Deo immediatè acceperat, ut S. hiſtoria teſtatur 1. Chron. 28. v. 11. 12. & ſeq. *Dedit autem David Solomoni filio ſuo ſimilitudinem porticus, & domuncularum ejus, & cellariorum ejus, & canaculorum ejus, & cubiculorum ejus interiorum, & domus propitiatorii, & ſimilitudinem omnium qua fuerant in ſpiritu cum eo, pro atriis domus Iehova, & pro omnibus cubiculis per circuitum, in theſauros ſanctitatum.* Et ſic deinceps uſque ad v. 19. ubi tandem David Salomoni filio ſuo dicit, *Omnia in ſcriptura de manu Iehova ſuper me, intelligere fecit me, omnia opera figura.* In iſtis autem omnibus Salomon ſtrictè inhæſit præcepto divino, à Patre ſibi tradi-

tradito, ut de illo testatur sacra historia 2. Chron 8. v. 14. *Constituit, juxta ordinem Davidis Patris sui, divisiones Sacerdotum in ministerio suo, & Levitas in custodiis suis, ut laudarent, & ministrarent coram sacerdotibus per singulos dies, & ianitores in divisionibus suis ad singulas portas: Sic enim erat praeceptum Davidis viri Dei.* Hisce docemur, sicut David ordinem illum totum à Deo acceperat, & jussu Dei filio suo tradiderat, ita & Salomonem stricte illum observasse, & quidem eâ de causâ, quod David illud ei tradiderit nomine Dei, ut Vir Dei: hoc est, non ut Rex authoritate regiâ, sed ut Propheta jussu Dei:

Tertiò, Quod Reges pii insequentes attinet, qui nil nisi reges fuere, non Prophetæ, uti fuere *Iosaphat, Hiskia, Iosia*, & similes, observandum sedulò, quod hi in illis, & de illis omnibus, etiam quæ ad ordinem solum inter Sacerdotes & Levitas constitutũ pertinebant, prorsus nihil immutarint, nihilve ex authoritate Regiâ, sive Architectonicâ, pro arbitrio egerint. Id solum operam dederunt, ut Religo integra inviolataque in omnibus conservaretur, aut ubi collapsa esset, integritati suæ, cum toto suo ordine, omnibusque suis circumstantiis, restitueretur: Atque id quidem juxta mandatũ Dei, per summũ Prophetam Mosem populo traditum; & ordinem à Davide, ut viro Dei, constitutum, à quo ne latum unguem

guem discedi permiserunt: ut qui intellexerint mandata ipsius Dei illa fuisse, quibus strictè observandis, & ipsi cum sua authoritate ac potestate tota, & populus integer obligatus esset. Hoc nomine illi ipsi viri probi ac pii, qui præceptis illis atque statutis mordicus adhæserunt, suam in verbo Dei laudem obtinent: alii autem qui vel minimum ab illis recesserunt, uti ignominiæ nota illic notati sunt, ita & gravem Dei iram in se sunt experti. De *Ieroboamo* filio Nebath dicitur 1.Reg. 12. v.30.31.32.33. in hisce contra Dominum peccasse, *tum quod erexit altaria in Bethel & in Dan, tum quod fecit domum excelsorum, & constituit sacerdotes quosdam de populo, qui non erant de filiis Levi, & fecit solemnitatem mense octavo*, &c. *Achas* Rex Iuda eo nomine culpatur. 2. Regi 16. v. 10. 11. &c. quod, *cum vidisset altare in Dammesec, ejus similitudinem miserit ad Vrijah sacerdotem, jusseritque sibi altare ad illius similitudinem extrui, quod posuit juxta altare areum quod erat coram Iehova, & obtulerit sacrificia super eo*. Rex *Vzias* ea notatur ignominia 2.Paralip.26. v.16. quod, *cum roboratus esset, elevatumque cor ejus, prævaricatus sit contra Iehovam Deum suum, eo quod ingressus sit templum Iehovæ, ut suffiret super altare suffimenti*. In quibus exemplis ostenditur, Regibus istis crimini fuisse datum, non tantum quod Religio-

nem

nem ipsam, vel corruperint, vel immutarint, & cultum idololatricum introduxerint: sed etiam quod in ordine, & externa administrationis ratione, immutare nonnihil ausi fuerint, utpote alia extruere vel oratoria, vel altaria, & vel aliis, quam qui à Deo ad id selecti erant, mandare munus sacerdotale, vel id ipsum sibi arrogare. Ita jam planè evanuit Regum & supremorum Magistratuum Vet. Testamenti in rebus Ecclesiasticis architectonica potestas.

Videamus an in novo Testamento aliquid inveniri possit quod sententiæ illi magis faveat. Verum quo pacto id illic inveniretur, quandoquidem ne vel minima quidem species arcthitectonicæ illius potestatis supremis Magistratibus tributæ, vel Ecclesiasticæ potestatis Politicæ potestati subordinatæ, illic appareat? Christus enim sibi soli potestatem in Ecclesia architectonicam vendicat. Dixit enim Matth. 28. v. 19. *Mihi data est omnis potestas in cælo & in terra*, & ex illa potestate misit ministros suos prædicatum Euangelium per totum terrarum orbem; quos proinde, non mediate per Magistratus, vel intercedente ipsorum authoritate, ordinavit, sed ipse immediate Euangelium suum prædicare jussit. Nec vel illos, vel illorum successores, ad supremos aliosve Magistratus ablegavit, mutuatum illam potestatem, vel petitum

eam

eam ſibi ab illis concedi. Illorum miniſterio erexit Eccleſiam ſuam, tum inter Iudæos, tum inter Gentiles, propagavitque per totum terrarum orbem, tribus ſeculis continuis, ſub graviſſimis perſecutionibus, non accedente ulla, qua fulciretur aut muniretur, ſeculari poteſtate. Revera ſi Chriſto placuiſſet conditionem, ſtatum, ac regimen Eccleſiæ ſuæ, aut poteſtatẽ Clavium regni cœlorum, Miniſtris ſuis traditam, Politicæ poteſtati obnoxiam facere, vel ſupremis in mundo Magiſtratibus ſupremam Eccleſiæ ſuæ curam, ſive ſupremam in eam poteſtatem, commendare, alia via hic ipſi incedendum fuiſſet. Qui ſubordinationem urgent, petunt rationem ſibi dari, *quare Deus cultum ſuum religioſum, non tam per Aaronem inſtituerit, quam per fratrem ejus Moſem?* Hanc verò illius rei veram & unicam cauſam eſſe autumant, *quod Deus exemplo iſto docere voluerit, curam Religionis conſtituendæ, ordinandæ, & dirigendæ, nomine Dei, ſupremo Magiſtratui commiſſam eſſe.* Sed jam oſtenſum, Moſem peculiariter, nomine Dei, populi Iſraelitici ducem & ſummum prophetam fuiſſe, & quicquid ea in re egit, non ut ſupremum Magiſtratum, ſed ut ſummum illius populi Prophetam, & voluntatis divinæ interpretem, egiſſe. Aſt quum hoc tam avide arripiant patroni ſubordinationis, quod tamen tam lubrico nititur fundamento: cur

non

non in hanc agendi rationem à Christo usurpatam oculos convertunt? Dent (si placet) rationem, quare Christus Euangelium suum prædicari, & Ecclesiam suam constitui jusserit, non per reges & principes, sed per infimæ ferme conditionis homines, Apostolos sc: suos, Euangelistas, Pastores & Doctores: quare ministros illos suos, propagatores regni sui & Ecclesiæ, non per supremos Magistratus vocari mandarit & ordinari: quare Ecclesiam suam, annis tam multis, sub gravissimis periculis & afflictionibus, solo Ministerio verbi & virtute Spiritus sui, conservare voluerit? An non eâ ratione docere voluit, Ecclesiam suam non dependere à potestate Magistratuum, sed à potestate sua, verbique & spiritus sui, & à sua fideli atque potenti tutela: nec supremos Magistratus, sed se solum, esse caput & regem Ecclesiæ suæ?

Duo autem producunt Vet: Testamenti vaticinia, quibus probari putant Potestatem architectonicam, quam supremis populi Israelitici Magistratibus asseruerunt, in novo Testamento prorogari ad Principes & Magistratus summos, qui vel nomina sua dant Ecclesiæ, vel eam in tutelam suam receperunt. Sed jam ostensum, non fuisse regibus & supremis Magistratibus concessam supremam vel architectonicam potestatem in rebus ad religionem pertinentibus. Quare vana est illa prorogatio.

 Atta-

Attamen consideremus ipsa vaticinia. Prius habetur Psal. 2. v. 10. 11. 12: *Et nunc Reges prudenter agite, erudimini Iudices terræ: Servite Iehovæ in timore, & exultate ei in tremore: Osculamini filium, ne irascatur, & pereatis in via.* Verum quid hic quod ad stabiliendam potestatem illam faciat? imò quid non quod planè ac plenè eam evertat? An hic vel ulla species argumenti apparet, unde, vel architectonica illa potestas, vel subordinatio Ecclesiasticæ potestatis sub Politica, probari possit. Certè Magni quid præstabit qui alterutram inde evincet. Attamen quid evinci inde possit ac debeat, supra capite quinto explicatum est, & forte in sequentibus aliquid adhuc ea de re dicendi dabitur occasio.

Alterum extat Iesa. 49. v. 23. *Et erunt Reges nutritii tui, & reginæ eorum nutrices tuæ: proni in terram incurvabunt se tibi, & pulverem pedum tuorum lingent: & scies quod sum Iehovah, quia non pudefient sperantes in me.* Sed nec hîc quidpiam pro illâ potestate, sed potius contra eam. Non enim ulla promissio alicujus potestatis & authoritatis facta hic est ullis Magistratibus: sed è contrario Deus consolans Ecclesiam suam, gravissimis afflictionibus pressam, promittit ei levamen à singulari charitate, & benignitate, ac reverentia, qua Reges & Reginę eam sunt excepturæ. Quid, quæso, hoc ad illam quam nos impugnamus

mus

mus subordinationem? Quin si aliqua inde extruenda subordinatio, potius fingenda illinc esset subordinatio Politicæ potestatis sub Ecclesiastica, quam Ecclesiasticæ sub Politica.

Cap. XIII.

In quo expenduntur ea quæ D. Vedelius in suo Constantini Magni Episcopatu hac de re disseruit: & simul ostenditur quænam Subordinatio intelligi hîc possit & debeat.

HÆc omnia quæ hactenus de Regno Dei & Christi, deque Politica & Ecclesiastica potestate disserui, breviter indicata volui in fine brevium mearum in D. Vedelii disputationem animadversionum, ad Quæst: 13. ubi sic obiter annotaveram, Certè Magistratus non est in Ecclesia. Qui Magistratu funguntur, si sunt fideles & Ecclesiæ membra, sunt in Ecclesia cum reliquis fidelibus: At Magistratus, qua Magistratus, in Ecclesia non est: Alioqui nemo posset Magistratus munere fungi nisi fidelis; neminemque pro subdito agnoscere posset Magistratus nisi fidelem, uti Pastor Ecclesiæ. Discrimen hîc agnoscendum inter regnum Dei universale, quod tanquam creator & conservator habet in universo

mundo, in & inter omnes homines, quibus imperat lege sua, & quos gubernat potestate sua absoluta: & inter regnum Dei speciale, quod regnum est gratiæ, comprehenditque omnes fideles, quos gratiose gubernat verbo suo & spiritu; in quo Filium suum, electorem & fidelium Mediatorem ac Redemtorem, speciatim in Regem constituit, Psal. 2. In primo illo regno universali Magistratus à Deo constitutus est ut ipsius vicarius. Hinc dicitur potestas à Deo ordinata, Rom. 13. & qui illo munere funguntur Deorum nomine in S. Literis insigniti sunt, Psal. 82. Unde etiam omnes ejusdem ditionis incolæ illos qui ibi rerũ potiuntur pro Magistratibus agnoscere debent, sive fideles, sive infideles, sive pios, sive impios. Hujus potestatis est, in illo regno universali, nomine Dei, custodire, & authoritate sua coactiva tueri, utramque legis tabulam, id est, subditos suos dirigere ad legis divinæ observantiam. Verum quia regnum illud universale rebellionis est regnum, utpote quod totum à Deo defecit per inobedientiam universalem totius humani generis; nil nisi externum hominem coercere, & aliquo modo in ordinem cogere potest Magistratus. At in regno Christi Mediatoris, sive in regno hoc posteriori, seu in regno gratiæ, quod est Ecclesia, in quo Deus electos suos & fideles, è potestate illa tenebrarum & universali defectione erutos,

sibi

sibi morigeros verbo & spiritu suo efficit, Christus ordinavit Pastores & Inspectores Ecclesiæ suæ, quorum operâ hoc regnum erigit, promovet, & gubernat spirituali ratione, Eph. 4. Pastorum, Doctorum, & Inspectorum Ecclesiæ hujus est, omnes cujuscunque ordinis homines, pro ratione muneris & vocationis suæ, docere, instruere, & monere ut è regno Satanæ & tenebrarum in hoc regnum Christi & lucis se recipiant: & omnes qui se eo receperunt, nomenque suum Ecclesiæ, ut regno illi Christi, dederunt, ministeriali suâ potestate, sive clavibus regni cœlorum, à Christo sibi traditis, in obædientiâ debitâ continere, & prudenter gubernare; refractarios verò excludere. Vice versa, quia hoc regnum eo fine à Deo erectum & stabilitum est, ut in illo debitè colatur; justumque, quod in regno universali ipsi negatur, recipiat obsequium: tenentur omnes quotquot sunt, vocationi illi divinæ parere, Ministerialem illam Pastorum Ecclesiæ potestatem, sive claves regni cælorum, agnoscere, eis sese humiliter cum spirituali obædientia subjicere; sed ex verbo Dei ritè edocti: & quamcunque in regno universali habent potestatem, quascunque ibi possident dotes, ad promotionem regni illius spiritualis, ejusque defensionem, & malorum omnium ab eo aversionem, ex verâ regni illius cognitione, impendere. Sic

dominatur Christus in medio inimicorum suorum: Sic osculantur eum principes & Iudices terræ.

Brevem hanc declarationem, apprimè facientem ad utriusque potestatis conditionem ritè intelligendam, tantum non in omnibus approbat D. Vedelius. Primò ait in ea dici, *Quod Magistratus, ut talis, non sit in Ecclesia, sed ut Orthodoxus & fidelis:* quæ verba sic possent intelligi, quasi Magistratus, non quidem quà Magistratus simpliciter, vel in genere; sed quà Magistratus fidelis, sit in Ecclesia. Quæ videtur perpetua esse mens D. Vedelij in tota illa disputatione. Hoc si vult, vel pervertit, vel non intelligit mentem meam. Apertè enim dico, Magistratum, quà Magistratum, sive (ut in scholis loquuntur) Magistratum formaliter sumtum, non esse in Ecclesia: sed eum qui Magistratu fungitur, sive Magistratum materialiter consideratum, si sit fidelis & Ecclesiæ membrum, esse in Ecclesia. D. autem Vedelius vult Magistratum formaliter, non quidem quà Magistratum simpliciter, sed quà Magistratum fidelem, esse in Ecclesia. Verum quia verba ejus obscura sunt & ambigua, ita ut vel suo sensu, vel meo, illa exponere possit, doceat nos quo sensu illa accipi velit. Si illo quem ego intendo, jam erimus unanimes, & secundum istam explicationem tota D. Vedelii disputatio intelligi

ligi debebit. Si suo, non video quomodo admittere possit rationem subjectam, qua probatur Magistratum, qua Magistratum, non esse in Ecclesia. Nam si Magistratus fidelis, quà Magistratus fidelis, sit in Ecclesia, neminem poterit Magistratus fidelis, qua talis, agnoscere pro subdito nisi fidelem: sicut Pastor Ecclesiæ, quia munus suum obit in Ecclesia, neminem potest agnoscere pro ove à se pascenda nisi fidelem, sive Ecclesiæ membrum.

Dicit tamen *se in illis omnibus facile acquiescere,* quia putat *non afferri eas distinctiones sensu & scopo illo quem Anabaptistæ habent; qui iis utuntur ut evincant Magistratum nullam potestatem habere in rebus Ecclesiasticis; sed potestatem omnem circa eas pertinere ad Ministros Ecclesiæ solos, & sic Magistratum volunt nulla ratione esse in Ecclesia.* Sed facile ipsi erat hoc non tantum putare, verũ & certò scire. Nam & norat à quibus annotationes illę prodierant, & verba ipsa annotationis illius sensum Anabaptisticum expresse refutant. Attamen sensum Anabaptisticum non satis exprimit D. Vedel. Non enim vel hoc solum, vel hoc præcipue, intendunt Anabaptistæ, ut evincant Magistratum nullam potestatem habere in rebus Ecclesiasticis, & sic Magistratum excludant ab Ecclesia: sed etiam, imò præcipuè, ut Magistratum, non tantum formaliter, sed & Materialiter considera-

tum, hoc est, eum qui Magistratu fungitur, etiamsi fidelis sit & Christianus, ab omni Ecclesiæ communione arceant, dicentes ipsum ea de causa quod Magistratū gerat & gladium, alienum esse à regno cœlorum. Certè quæ in illâ meâ distinctione dicuntur ad ea redeunt quæ D. D. Professores dicunt in Cens. Remonst. cap. 25. ar. 3. 4. Quapropter & illam D. D. Prof. de hac materiâ declarationem in hoc tractatu exhibui, & à Remonstrantium cavillationibus vindicavi. Summatim id quod dicere vult D. Vedelius sic comprehendit. *Modo illa distinctio non adhibeatur ad potestatem Magistratui eripiendam, quam verbum Dei illi tribuit, eam non rejicio, nec plus tribuo Magistratui quam in ea ipsi defertur.* Ante dicebat se in illis distinctionibus acquiescere, modo nō sumatur sensu Anabaptistico. Sensus Anabaptisticus rejectus est, quin & ipse illum rejici docet ipsissimis distinctonis istius verbis. Iam subjicit se distinctionem illam non rejicere, modo non adhibeatur ad potestatem Magistratui eripiendā quam verbum Dei illi tribuit: Potestne illa distinctio eo fine adhiberi? Si potest, doceat hoc D. Vedelius, & ostendat quâ in re Magistratui suam authoritatem sive potestatem eripere possit. An hoc eripiet Magistratui Potestatem quam verbū Dei illi tribuit, quod Vicarius & Minister Dei sit in regno universali, non autē Christi ut regis spiritualis

in regno speciali gratiæ? Aut quid demum? Si tale quid illi distinctioni subest, non deberet dicere *se non plus tribuere Magistratui quam illi in ista distinctione defertur.* Nam sic facile derogaret potestati Magistratus. Sed exceptio ipsi adest, scilicet quod non simpliciter admittat istam distinctionem, sed sub conditione, *Si non adhibetur ad eripiendam Magistratui,* &c. Quæ tamen exceptio æquè dubium ac perplexum relinquit lectorem. Sentit distinctionem istam planam, solidam, & perspicuam esse, maximèque idoneam ad hanc rem, orthodoxorumque de ea sententiam, ritè explicandam, utpote è rei natura petitam, quare non audet illam rejicere & impugnare, vult itaque videri illam admittere. Quia tamen cum suis conceptibus non per omnia convenire animadvertit, metuit sibi ab illa. Itaque accedit, recedit, admittit, non admittit nisi sub conditione: suspicatur aliquid latere, tamen *non plus tribuit, &c.* Itaque cum vult videri multa dedisse lectori, nihil dedit.

Videamus num ex aliis mentem ipsius melius intelligere possimus. Ad quæstionem primam sic annotaveram. Cum negatur Magistratum tantum esse defensorem Ecclesiæ, & executorem sententiæ illius: an non indicandum erat quid ergo sit Magistratus respectu Ecclesiæ? Negativa enim ejusmodi propositio nimium

est generalis, cum, negata una specie, aliæ plures restent vel affirmandæ vel negandæ. Estne ergo Magistratus Dominus aut Caput Ecclesiæ? an verò habet munus aliquod in Ecclesia? Certè Magistratus non est quidem stupidus aut cæcus Ecclesiæ defensor, aut debet sententiam Ecclesiæ defendere quæcunque demum illa sit: attamen, si Magistratus aliud quid est prætérquam Ecclesiæ defensor, quæso quid demum est? Quamvis ii qui volunt ut Magistratus stupidè & cæcè Ecclesiam tueantur, ejusque exequantur sententiam (quod volunt Papæ Romani sectatores) illos faciunt Mancipia Episcoporum, id tamen tribuendum non est illis qui volunt veram Religionem, veramque Ecclesiam, à Magistratu è verbo Dei cognosci, & cognitam defendi, eoque sensu Magistratum Ecclesiæ defensorem faciunt. Dices, Ergo Magistratus judicat de Ecclesia, & de rebus Ecclesiasticis. Certè, (inquam) judicat etiam de religione. Sed & Pastor judicat, & fidelis quilibet. Pastor ut veram religionem doceat, & res Ecclesiasticas ritè administret: fidelis quilibet ut Deum rectè colat: Magistratus ut veram religionem & Ecclesiam tueatur atque defendat.

Ad hanc annotationem sic D. Vedelius. 1. *Quærere quid præterea sit Magistratus respectu Ecclesiæ, est revera nihil quam quæ-rere.* Sed est quærere (dico) quod ad rem

quam maxime facit. Quando quæritur quid hoc vel illud sit, non sufficit dicere quid non sit, vel quid non solum sit, sed explicandum est quid actu, re ipsâ, & formaliter sit, quantum sc: explicari id potest: nec satis est adversarii sententiam negando rejecisse, sed oportet contrariam affirmativam illi oponere. Atque id hac in re oportet quam maximè, ubi, & studiosi à publico Doctore sunt informandi, & Magistratus è verbo Dei docendus quo modo se erga Ecclesiam gerere debeat. Pergit. *Quamnam potestatem habeat Magistratus in Ecclesia, seu circa Ecclesiam, & res Ecclesiasticas, præter illam quam Bellarminus ei assignat? prout quæstio à me formata est conceptis verbis: Atqui hoc ipsum tractatur, tum in genere, Qq. 1. 2. 3. tum in specie, Qq. 4. 5. 6. 7. 8. 10. 11. 12.* Sed, bona venia D. Vedelii, respondeo illum non sic formasse quæstionem conceptis verbis. Prima enim illius quæstio, ad quam mea illa annotatio est apposita, conceptis & expressis verbis sic sonat: *An Magistratus nullam potestatem habeat in rebus Ecclesiasticis quam ut sit defensor Ecclesiæ, & executor sententiæ illius?* Ad illam respondet hac propositione. *Quemadmodum certissimum est, & extra omnem controversiam positum, Magistratum esse defensorem Ecclesiæ, & propugnatorem ordinis divinitus instituti, adeoque potestatis quam Deus dedit Ecclesiæ suæ: ita falsi-*

falsissimum est eum tantum defensorem esse Ecclesiæ, & executorem sententiæ illius. Itaque interrogatum illud meum apte riteque ad illam quæstionem, & D. Vedelii responsionem, sive propositionem, apposui, eo fine ut ex ipsius sententia & explicatione, postea, si ipsi placeret, nobis exhibenda, intelligeremus quid Magistratus sit præterquam defensor Ecclesiæ: quod lectoribus & studiosis suis adhuc debet. An recte docuerit Potestatem Magistratus in Ecclesia, & circa Ecclesiam, illis suis quæstionibus & & responsionibus, D. Revii Examen luculenter satis demonstrat, & deinceps obiter hîc indicabimus, quantum sc: responsa ipsius ac interrogata mea postulare videbuntur.

II. *Si quis tamen* (inquit) *velit (quamvis opus non sit) non in casu obliquo, non paronymicè, sed in casu recto & synonymicè, formari enunciationis prædicatum, dico: Magistratus, respectu Ecclesiæ, est præcipuum membrum Ecclesiæ, & eo respectu partes etiam suas habet in vocatione Ministrorum, quia vocatio Ministrorum ad totam Ecclesiam pertinet.* Sic ille. Sed distinguendum hîc erat num Magistratum hîc velit intelligi Materialiter, an verò formaliter. Formaliter intelligi velle videtur ex eo quod eum hîc faciat *præcipuum membrum Ecclesiæ,* & in sequentibus dicat directorem *ordinis externi Ecclesiæ, imperio & gladio ar-*

ma-

natum. Director hîc esse non potest nisi quà Magistratus formaliter; & à dignitate, quæ ipsi competit ut Magistratui, debet ipsi obvenire eminentia ob quam dicatur præcipuum Ecclesiæ membrum. Ergo Magistratus, quà Magistratus, est D. Vedelio membrum Ecclesiæ, & quidem præcipuum: & hujus enunciationis (*Magistratus est præcipuum membrum Ecclesiæ*) prædicatum est D. Vedelio synonymice formatum. Ergo τὸ, membrum Ecclesiæ, prædicatur de Magistratu univocè, sicut animal de homine. Non credo de solo Magistratu: Ergo etiam de subditis: proinde Membrum Ecclesiæ est genus Magistratus & subditi. Sed si hoc sit, quid fiet de Magistratu & subditis qui non sunt Ecclesiæ membra? Ita species egredientur latitudinem sui generis. Sed eadem ratione, Infidelem esse, & Alienum esse à Christo, univoce prædicabitur de Magistratu & de subditis. Sic duo plane contraria, vel contradictoria, prædicabuntur de iisdem speciebus, de Magistratu sc: & subditis. Magistratus verò, quia eminet, utrobique sub eodem genere erit præcipua species: sicut sub genere membri Ecclesiæ est præcipuum Ecclesiæ membrum; ita sub genere Infidelis, vel alieni à Christo, erit præcipuus infidelis, vel præcipue alienus à Christo. Sed quomodo Magistratus, quà Magistratus, potest esse membrum Ecclesiæ, cum plurimi dentur

Magi-

Magistratus qui Ecclesiæ membra non sunt? Certè si hi Magistratus verè sint Magistratus, ut eos esse nemo ambigit, τὸ, esse membrum Ecclesiæ, de Magistratu quà Magistratu prædicari non potest.

Dicet se intelligere Magistratum quà fidelem. Sed si Magistratus, non quà Magistratus, sed quà fidelis, est membrum Ecclesiæ, Ergo non est præcipuum membrum Ecclesiæ: quia illud *præcipuum esse* debet ipsi obtingere à dignitate quam habet ut Magistratus. Sed dicet, Se intelligere Magistratum fidelem, quà Magistratum fidelem, esse præcipuum membrum Ecclesiæ: ita ut quod sit *membrum Ecclesiæ*, habeat ab eo quod sit fidelis; & quod sit *præcipuum*, habeat ab eo quod sit Magistratus. Insignis sc: conjunctio. Magistratum esse, & fidelem esse, per accidens sunt conjuncta; ergo etiam præcipuum esse, & membrū Ecclesiæ esse, per accidens conjuncta sint. Magistratū enim esse, & fidelem esse, sunt planè heterogenea. Illud obtingit alicui à vocatione divina externa in Republica: hoc ab interna vocatione spirituali & salutari in Ecclesia. Illud in regno universali potentiæ, nihilque facit ad salutem æternam: hoc in regno speciali gratiæ, estque ad salutem omnino necessarium, imò salutem æternam certissimè importat. Illud est munus externum, conjunctum cum potestate externa coactiva: hoc verò designat conditio-

itionem & qualitatem spiritualem, conınctam cum summa humilitate ac reve:ntia, in salutari communione cum Deo. Quis ex istis duobus adeo diversi generis, er accidens in eodem subjecto concur:ntibus, unum aliquod conflet genus uniocum? Hinc est quod dignitas Magistraıs non faciat eum, in quo cum fide concurt, digniorem, vel eminentiorem, aut Deo onjunctiorem in fide: nec fides eminenorem, aut majori potestate præditum in Magistratu. Sic etiam se habent *Præcipuum*, : *membrum Ecclesiæ*. Nam quod præciuum est, habet à dignitate Magistratus: :d quod membrum Ecclesiæ, à fide in Christum. Quare ista duo compositum hoıogeneum efficere non possunt, ac proine nec Synonymum, ita ut illorum alteım, vid: *Præcipuum*, de altero, vid: de *membro Ecclesiæ*, formaliter, atque univocè rædicetur. Hoc est, ut, qui membrum est Ecclesiæ & Magistratus, dicatur membrum Ecclesiæ quà est Magistratus; vel Magistraıs quà membrum est Ecclesiæ: vel fidelis, uà Magistratus: vel Magistratus, quà fides, sive credens in Christum: ac proinde on possunt efficere compositum homoeneum sc: *Præcipuum membrum Ecclesiæ*, :a ut quà membrum Ecclesiæ, sive in τῷ sse membrum Ecclesiæ, sit præcipuum. Si ossit tale compositum ex illis, vel fundere, el conflare, exerat vires ingenii sui D. Vedelius,

delius. Scriptura saltem ejusmodi conflatile non novit. Apostolus enim dicit Gal. 3. v. 28. *Non esse, nec Iudæum, nec Græcum: non esse servum, neque liberum: non esse masculum, nec fœminam: sed omnes nos unum esse in Christo Iesu.* Et Petrus testatur fidem esse *ἰσότιμον*. 2. Pet. 2. vers. 1. Quare & Iacobus monet cap. 2. v. 1. *ne fidem Domini nostri gloriosi habeamus cum respectu personarum.* Ita in illo saltem attributo non docuit nos quid Magistratus sit præterquam Defensor Ecclesiæ. Dicit 2. *Magistratum, respectu Ecclesiæ, esse directorem ordinis Externi Ecclesiæ, imperio & gladio armatum.* Ergo non est director ordinis Ecclesiæ in Ecclesia. (In Ecclesia enim gladius materialis non est, nec ullum imperium præter imperium Dei:) Sed extra Ecclesiam in Republica, prout ordo ille in publico observatur, ne ordo alter alterum turbet sc: nec Ecclesiasticus Politicum, nec Politicus Ecclesiasticum: non autem prout spectat Ecclesiæ ædificationem. Et quod dicit magistratum imperio & gladio esse armatum, arguit Magistratum esse defensorem Ecclesiæ. Nam si dicatur Magistratus imperio & gladio suo coercere turbatores illius ordinis, eo ipso se defensorem Ecclesiæ ostendit.

Ad id quod quæritur. An Magistratus sit Dominus aut Caput Ecclesiæ? respondet *Malle se cum Scriptura loqui, quæ illum honorem soli Christo tribuit.* Bene. Sed & fa-

teamur

teamur nos debere cum Scriptura loqui, cum qua loquentes a veritatis tramite non deflectemus. Ad quæstionem, An Magistratus habeat munus aliquod in Ecclesia? respondet, *Eum propriè loquendo munus in Ecclesia non habere: Propriè enim* (inquit) *& formaliter munus habere in Ecclesia, est defungi ministerio aliquo Ecclesiastico, quæ quatuor recensentur in Const. Dordrac. Art. 2. &c. Constat autem Magistratū nullum ex illis ministeriis habere.* Cum sic restringit ut dicat, *Propriè non habere Magistratum munus in Ecclesia,* videtur illi impropriè aliquod munus adscribere in Ecclesia. Demonstrari nobis velimus id munus. Dicit *Magistratum habere potestatem coactivam in Ecclesia.* Sed nos negamus dari ullam in Ecclesia potestatem coactivam externam. Corrigit itaque, & dicit: *Seu potius circa Ecclesiam, sive circa res & personas Ecclesiasticas.* Adhuc rogamus, An in Ecclesia, an verò extra Ecclesiam in Republica? Nam & potestas Ecclesiastica in Ecclesia versatur circa res & personas Ecclesiasticas. Addit *Tanquam custos ac vindex utriusque tabulæ legis.* Verum & Pastor (dico) ac Minister Christi est custos atque vindex utriusque tabulæ legis, custodia sua atque vindicta spirituali. Tandem aït, *tanquam nutricius ac defensor Ecclesiæ.* Hoc tandem Magistratum, quà talem, constituit extra Ecclesiam in Republica ad defensio-

fensionem Ecclesiæ. Ita necdum intelligimus quomodo Magistratus impropriè fungatur aliquo munere in Ecclesia, nec quid Magistratus amplius sit quam defensor Ecclesiæ.

Magistratus dicitur *Custos utriusque tabulæ legis*, & inde solet arcessi jus ejus circa res Ecclesiasticas. Nec refragamur. Sed considerandum quo modo & sensu id dicatur, vel dici debeat. Deus præcipit verbo suo Magistratui, primoribus, & judicibus populi sui: præcipit & Sacerdotibus: præcipit etiam toti populo, custodire legem suam. Populo toti, tum iis qui publico munere funguntur, tum qui vitam vivunt privatam, ut secundum legem istam, vitam suam, actiones suas omnes instituant. Et eo sensu omnes quotquot sunt custodes sunt utriusque tabulæ legis. Sacerdotibus, non tantum ut pro se piè justéque vivant, sed etiam ut secundum legem divinam cultum religiosum administrent. At hoc posterius non est mandatum Magistratibus. Quid ergo hîc habent peculiare præ populo? Ut alios sua authoritate ad legis divinæ observantiam dirigant: Verum & hoc est Patrum familias; & fuit Sacerdotum in populo Israelitico, & nunc est Pastorum atque Inspectorum Ecclesiæ. Non est tamen hîc eadem illorum ratio, non eadem authoritas. Observandum hic ergo est inter hos & illos discrimen: quo discri-

discrimine ritè observato, facilia & expedita evadent quæ difficilia admodum & intricata videri possent. Paterfamilias docet in familia suos veræ pietatis & justitiæ exercitium; præit illis exemplo suo, & authoritate coercet suos, ne à recto pietatis & æquitatis tramite deflectant. Minister Ecclesiæ docet integros cætus & congregationes veram pietatis & justitiæ regulam, monetque omnes & singulos ut se imperio Dei & Christi ejus subdant: clavibusque à Christo domino suo sibi traditis admittit in communionem Ecclesiæ resipiscentes & credentes, eosque dirigit ac coercet ne deflectant; aberrantes in viam reducit, refractarios verò repellit & arcet à communione fidelium. Qui Magistratu fungitur, non docet, nisi quà fidelis, ex lege charitatis, cũ omnibus fidelibus, & quà Paterfamilias suos domesticos: Sed quà Magistratus, coercet potestate suâ coactivâ omnes quotquot in ditione ejus vivunt, ne quod externè, vel in pietatem, vel in æquitatem peccent, ipseque præit illis eminenti pietatis ac probitatis exemplo, ac ista ratione utriusque exercendæ illis author est. Verũ quia non coactiva illa ipsius potestas medium est à Deo destinatum ad veram pietatem justitiæque amorem ac studium animis subditorum ingenerandum, sed Ministrorum Iesu Christi Ministerium; admittit illius exercitium publicum in fines ditionis suæ,
adeo-

adeoque regnum Christi, cum toto suo ordine ac Ministerio, ut qui pietatis & justitiæ cultus, authoritate Magistratus coactiva, propter cordis humani pravitatem & rebellionem, obtineri non poterat; per ministerium Ecclesiasticum, efficaci operatione Spiritus sancti obtineatur. Et quia rebelles & refractarii, qui Christo & dominio ejus sese opponunt, Ecclesiam & administrationem spiritualem odio habentes, opprimere illam, ordinemque ejus turbare conantur, fidelis & pius Magistratus, potestate illa sua, hanc tuetur, & illos coercet. Sic illi omnes, Patres sc: familias, Sacerdotes, ministri, & Magistratus, quilibet pro ratione muneris sui, custodes sunt utriusque tabulæ legis, singulorumque potestas eò tendit, ut pie, ac debite, secundum legis præscriptum, Deo serviatur.

Hoc bene considerato, facile est colligere, hîc, non tam de potestate, quam de ministerio; de authoritate, quam de servitio & debito officio, cogitandum esse. Quod ne Papisticum quis esse putet, non dicimus, respectu Ministrorum Ecclesiæ, sed ipsius Christi Filii Dei. Dominium enim omne & honorem, quem hic suspicere & revereri debent Magistratus, soli Christo deferimus. Ejus vel particulam ad quemcunque transferre hominem, Antichristianismum sapere contendimus. Sed Deo & Christo hic ministrandum esse omnibus,

etiam

etiam supremis Magistratibus, docet ipsum Dei verbum. Respectu hominum, quibus præsunt Magistratus, authoritate pollent, & illorum authoritati ac imperio libenter nos submittimus. Sed Dei respectu, ministri ipsius & subditi sunt, Christoque filio ejus subditi esse, subditosque se præstare debent. Authoritate pollent & Patres familias, & sua valent etiam Ecclesiarum Pastores ac Inspectores: sed & eorum authoritas omnis ministerialis est: Patrum itaque familias, & Magistratuum quà talium, ministerium est respectu Dei: Inspectorum autem & Rectorum Ecclesiæ, qua talium, respectu Christi ut Regis Ecclesiæ spiritualis. Quare sicut omnes illi graviter peccant, cum à lege, à præscripto, Dei Christive deflectunt: ita obædiendum illis omnibus non est, nisi quod cum lege Dei convenit præcipiant. Est ergo Subordinatio filiorum familias & domesticorum sub Patribus familias: Est membrorum Ecclesiæ, quà talium, sub Pastoribus & præpositis suis: Est subditorum sub Magistratibus: sed illorum omnium simul sub Deo. Itaque hac in parte, in cultu religionis, nec Domestici Patribus familias: nec membra Ecclesiæ Pastoribus & Inspectoribus: nec subditi Magistratibus subordinati sunt, nisi quatenus hi subordinati sunt, seque subordinatos æstimant & præstant Deo. Cum ergo jugum Dei hic excutiunt, vel Patres

fami-

familias, vel Paſtores, vel Magiſtratus, non illis domeſtici, non iſtis fideles ut oves Chriſti, non his ſubditi, ſubjecti ſunt hac in parte; licet in reliquis omnibus illis ſubeſſe debeant.

Sic quidem (dices) reſpectu Dei, cui omnes, & Patres familias, & Sacerdotes, ſive Miniſtri Eccleſiæ, & Magiſtratus ſervire debent: ſed reſpectu illorum inter ſe, conſiderandum, an non priorum duorum, ſc: Patrumfamilias, & miniſtrorum Eccleſiæ poteſtas, horum tertiorum, vid. Magiſtratuum, poteſtati ſubjecta ſit. Loquor de prioribus duobus ſimul. Nam illorum poteſtas ſine iſtorum, nec iſtorum poteſtas ſine illorum potſtate, poteſtati horum, ſc: Magiſtratuum, ſubjecta eſſe poteſt. Si enim poteſtas miniſtrorum Eccleſiæ ſubjecta eſſe debet poteſtati Magiſtratuum, multo magis poteſtas Patrumfamilias. Sed hac in parte poteſtas Patrumfamilias poteſtati Magiſtratuum ſubjecta non eſt. præſcribere enim Patribus familias quam religionem quiſque ſuos doceat, aut quam privatim in ædibus ſuis exerceat, Magiſtratui non licet: Non magis quam ipſi licet privato unicuique injungere quam religionem ipſe amplectatur, aut qua ratione ipſe Deum colat; modo nihil committat contra leges de iis quæ in publico agenda ſunt. Sicut Magiſtratus poteſtatem non habet in conſcientias ſingulorum, ſic nec eandem habet

bet in conſcientias Patrum-familias. Hæc enim ſe mutuo trahunt. Nam ſi poteſtatem habet in Patrumfamilias conſcientias, habet & illam in conſcientias omnium privatorum, & vice versâ. Si enim legem de religione colenda ponere poteſt conſcientiis patrum-familias, poteſt etiam illis præſcribere religionem qua imbuere debeant domeſticos ſuos, & inter illos privatim domi coram Deo exercere.

Nec eſt quod quiſpiam in contrarium hic argumentetur exemplo Iſraelitarum. Illorum, enim ut una erat Eccleſia, ita & una erat reſpublica, à Deo ex omni populo ac natione ſelecta, à qua tota agnoſci & coli volebat: quo fine unum ſolum conſtituerat in illa tabernaculum; unicum ſolummodo juſſerat extrui templum, ut locum cultus religioſi à toto illo populo ſibi præſtandi, ad quem omnes maſculi annorum viginti & ultra, ter ſingulis annis, fidei & pietatis ſuæ teſtandæ cauſa, conſcendere tenebantur. Quam legem ut Sacerdotes doctrina & monitis, ita & Magiſtratus poteſtate ſua coactiva, conſervare ac tueri, & exequutioni mandare debebant. At hoc locum non habet in Eccleſia Novi Teſtamenti, quam miniſterio verbi ſui è populis omnibus Chriſtus colligit: ad quam, non gladio & carceribus homines cogit, ſed ſerijs adhortationibus invitat, quærens populum ultro & liberè ſibi

obædientem. Psal. 110. v. 2.3. Diabolicæ est arrogantiæ potestatem sibi in hominum animas & conscientias attribuere. Est enim id, quod Deo proprium est, sibi arrogare. Deo competit jus in hominum animas, ex quo omnium illorum conscientias suis adstringit legibus, sub periculo æternæ condemnationis. Ideò diabolus, honorem divinum affectans, illud sibi vendicare audet; &, illius instinctu, omnes illi inter mortales quorum animos eadem arrogantia inflavit. Hinc natæ Gentilium & Papistarum leges de religione sua idololatrica tuenda & propaganda: deque inquisitione in verè Christianorum, etiam privatam, fidem ac religionem, cum tyrannica legum istarum exequutione. Quare Magistratus qui sibi arrogant potestatem pro arbitrio leges de religione condendi, eisque adstringendi conscientias subditorum; vel ab aliis excogitatas zelo & impetu cæco amplectendi, & ad eas observandas subditos suos vi externâ cogendi, duplici peccato impudentissimæ arrogantiæ sese implicant, & quod sibi vendicent jus & potestatem in hominum animas, & quod religionē, quæ à Deo solo promanare potest, pro libitu suo fingere & refingere audeant. In utroque enim id quod soli Deo competit immani superbiâ sibi arrogant.

Si igitur Magistratui supremo jus & potestas non est in conscientias privatorum &

Patrum-

Patrumfamilias, nec jus ipsi competere potest in Pastorum conscientias, & in ministerium illis speciatim à Christo demandatum.

Sic itaque res se habet. Uniuscujusque privati conscientia immediatè subjecta est Deo & verbo ejus; quia unusquisque pro se privatim tenetur Deum ex præscripto verbi ipsius purè & sanctè colere. Sic etiam conscientia uniuscujusque Patris-familias, quà talis; quia tenetur totam familiam suam sua institutione & authoritate ad pietatem dirigere. Nec minus conscientia Pastorum & Ministrorum Ecclesiæ, ut qui ex mandato, non humano, sed planè divino, tenentur verbum ipsius Dei purè docere, aliasque ministerii sui partes sanctè obire, utpote de quibus ratio ipsis summo judici reddenda erit. Uti & Conscientia Magistratuum, quippe qui, nomine Dei munere suo sublimi fungentes, sanctum illud & purum Deo præstare tenentur. Nulla igitur hac in parte Subordinatio est horum illorumve: sed omnes, quisque pro ratione vocationis & muneris sui, Deo immediatè subjecti, sunt, ut quilibet muneris sui functionem Deo approbet. Munia sua singuli, alii erga alios, obeunt: sed ut Dei Christive Ministri in alios Dei Christive Ministros, diversi licet ordinis & conditionis, ut invicem ad pietatem, obædientiamque Deo præstandam, & functiones suas coram Deo

ritè administrandas, dirigant & animent: Sic Patres familiarum suos regunt & instituunt privatim. Sic Pastores & Ministri, quà possunt privatim ac publicè, & illos, & privatos quoslibet, & Magistratus, voluntatem Dei suumque docent officium. Sic & Magistratus legibus suis religionem & pietatem in publico sanciunt, ejusque exercitium tuentur & promovent. In hisce omnes & singuli Deo serviunt, qui & ab illis functionis obitæ rationem exiget. Si ergo verbi Dei ductum sequuntur ipsi, & alios sibi commissos secundum illum dirigere conantur, Deo se fideles præstant, & animas suas coram ipso liberant: secus infidelitatis in Deum, & in famulos Dei, reos se faciunt. Quare & illi circa quos illorum cura & directio alias versatur, submittere se eis non tenentur, sed ad Deum, suum & illorum Dominum, verbumque ejus, respicere & attendere. Si ergo Pastores doceant, si Magistratus sanciant, & exerceri jubeant, religionem verbo Dei dissentaneam, privati, & Patres familiarum, & illos audire, & hos obædire detrectent. Si falsa in publico religio colitur Pastorum & doctorum vitio, Magistratus non tantum ei communicare renuat, sed & illam, cum Ministris ejus, authoritate sua & potestate coactiva, è publico removeat, ejusque loco veram religionem admittat & stabiliat: hoc est, Christi regnum, sive Ecclesiam

clesiam veram, cum toto ejus ordine ac regimine spirituali, in ditione sua obtinere inter suos jubeat. Denique si Magistratus quid quod à verbo Dei dissentit Pastoribus & Doctoribus Ecclesiarum præscribit, ut ab ipsis docendum vel exercendum, horum erit, liberè quidem & animose, attamen modestè, id recusare, & recusationis suæ rationes, è verbo Dei & regni Christi conditione petitas, exponere. Alioqui si, vel Magistratus Ministris doctrinam Christi & religionem adulterantibus: vel Ministri Christi Magistratibus religonem & doctrinam adulteratam præcipientibus, auscultant: & aut illi his, aut hi illis, moti sc: authoritate & potestate à Deo illis facta, brute se subjiciunt, ministros non Dei sed hominum se faciunt, & quam Deo debent submissionem & obædientiam ad homines transferunt. Ex quibus cuivis patere potest, nos, Ecclesiasticam potestatem asserendo, Potestatem Magistratuum Politicam nulla ex parte imminuere: solummodo uttamque Deo & verbo ejus submittere, & in hoc solum intendere, ut, conscientiis omnium Deo & verbo ejus assertis & vindicatis, utraque ex solo verbi Dei præscripto administretur & exerceatur.

De hac ergo Magistratus potestate sic sentimus & docemus, Magistratus supremi esse leges ferre de Religione in publico ex-

ercenda. Ipsius enim est omne bonum publicum ditionis suæ curare. Inter bonum autem publicnm meritò censetur Religio. Ipsius est, ut νομοθέτῃ, bonum unumquodque publicum legibus sancire: illaque potestas legum de communi totius reipublicæ bono ferendarum penes illum solum residet. Hac potestate si bene utitur, veræ religionis bonum legibus suis in publico stabiliendi, facit quod se decet & Deo gratum est: Secus graviter peccat. Quare libenter hîc concedimus, imo ipsi docemus & urgemus, thesin Utenbogardianam, quàm posuit in libello suo supra nominato Pag. 67. *Supremum Magistratum in regione sua summam habere authoritatem, potestatem, imperium in causis religionis: sed sub Deo, & secundum normam verbi ipsius.* Supremus enim Magistratus in regione, republica aut regno suo, summa pollet authoritate statuendi quam religionem illic velit publicè exerceri. Et certe nemini mortalium præter illum suprema illa potestas competit aut competere potest in regione ista. Secus enim duo darentur in eadem regione summi Magistratus. Potestas autem ista ipsi competit sub Deo, sub quo immediatè potestatem suam supremam possidet: debetque ea uti secundum normam verbi divini uti jam demonstratum, ita ut non liceat ipsi aliam religionem in publicum producere, & legibus sancire, quam

quæ

quæ verbo Dei eſt tradita. Contrarium enim ſi fecerit & ipſe graviter peccat, & ſubditi ea in parte imperio ejus ſubjecti non ſunt. Quare ſi tali in caſu ſubditos ad imperio ſuo parendum, aut religionem ſuam amplectendam vi cogere velit, hoſtem Dei & perſecutorem piorum ipſius famulorum ſe præbeat. Attamen non licet piis ipſius ſubditis, poteſtate politica non inſtructis, vel in ipſum inſurgere, vel gladio temporali religionem & Eccleſiam, quam ipſe perſequitur, adverſus vim ipſius tutari: quamvis poſſint, imò debeant, mediis regno Chriſti & vocationi ſuæ congruis, hoc dare operam ut religio ipſorum in publico exerceri poſſit, quo populus integer de ea inſtituatur & nomen Dei in publico celebretur. Hoc ſi illis concedatur, pro inſigni Dei & ſupremi Magiſtratus beneficio habebunt: ſi minus, in patientia poſſidebunt animas ſuas, conabunturque, qua poterunt optima ratione, Deo bona conſcientia, juxta præſcriptum verbi ipſius, cultu religioſo inſervire. Sic ergo ſuprema quidem eſt inter homines, in ditione ipſius, ſummi Magiſtratus poteſtas: attamen in cauſa religionis architectonica non eſt. Suprema (inquam) eſt inter homines in ipſius ditione, ſed ſumma non eſt in Eccleſia. Hæc longè diverſa ſunt. At hæc plerumque confunduntur; ex qua confuſione acres illæ contentiones, & confuſæ diſputationes

 tationes

rationes inter hujus illiuſve poteſtatis propugnatores ortæ ſunt. Unde planum fit Utembogardum & alios ſtatum controverſiæ, & non intellexiſſe, & aliquando turpiter in volviſſe.

Summa eorum quæ hactenus de ſubordinatione vel coordinatione Politicæ & Eccleſiaſticæ poteſtatis diximus huc redit.

1. Quod Magiſtratus, quà Magiſtratus, cum coactivâ ſuâ poteſtate non ſint directè ſubordinati Chriſto, ut Regi ſpirituali in ipſius regno ſpeciali quod de hoc mundo non eſt: ſed Deo in regno ipſius univerſali: quamvis vi hujus ſubordinationis ſub Deo poteſtatem iſtam Chriſti agnoſcere debeant, poteſtateque ſua efficere ut à ſubditis ſuis debitè agnoſcatur.

2. Quod Miniſtri Euangelii qua tales, cum ſuâ poteſtate Miniſteriali, cumque clavibus regni cœlorum quas Chriſtus ipſis commiſit, non ſint ſubordinati Magiſtratibus, ſed immediatè conſtituti ſub Chriſto ut unico ſpirituali rege Eccleſiæ ſuæ.

3. Quod cum poteſtas in publicum ſit penes Magiſtratus, gladio & vi coactivâ munitos, penes illos etiam ſit Miniſtros Euangelii, ſive Chriſti in ipſius Eccleſiâ, cum Miniſterio ſuo & ordine, vel in publicum admittere, ibique miniſterium illorum ſancire & ſtabilire, vel ab eo repellere.

4. Quum Magiſtratus miniſtros illos in publicum admittunt, & authoritate ſuâ tuen-

tuentur id ipsi pro insigni beneficio habere, & magnâ cum animi gratitudine amplecti debeant: & sicut Magistratus, utpote Ministros Dei, semper revereri tenentur; ita præcipuè tali casu, venerari illos & diligere debeant ut Ecclesiæ nutritios.

5. Quod Magistratus cum Ecclesiam, simul cum ministerio & ordine ipsius, admittunt & tutantur. Deo se morigeros præbeant, juxta præceptum ipsius Psal.2. osculantes filium ab ipso sibi missum, adeoque potestate & authoritate sua bene utantur: at cum hoc facere renuunt, imo è contrario ministros Euangelii repellunt & persequuntur, eadem illa sua potestate nefariè abutantur.

6. Quod ne hac in parte errent aut fallantur, operam dare debeant Magistratus ut doctrinam Euangelicam, & Christianam religionem, cum toto ordine quem Christus in Ecclesia sua constituit, e verbo Dei ritè cognoscant.

7. Quod quando Magistratus Christianam religionem, vel recipere, vel in publico admittere nolunt, ministris Christi in Ecclesia ipsius non liceat se vi, vel armata manu, ingerere, vel coactivam Magistratuum potestatem sibi arripere, ut ea ratione veræ religionis exercitium publicum faciant. Hoc enim esset gladium ipsis non concreditum illegitima ratione cum Petro sumere.

 8. Quod

8. Quod in hac religionis & Eccleſiæ in publicum productione ſita ſit ſubordinatio miniſtrorum Eccleſiæ ſub Magiſtratu Politico: quæ proinde locum non habet in ipſa religione, aut negotiis Eccleſiaſticis per ſe conſideratis, ſed in religione & Eccleſia ut in publico conſtituenda, ibique ſtabilienda legibus vi coactiva munitis.

9. Quod Magiſtratibus renuentibus veram religionem admittere, imò arcentibus pios ab ejus exercitio, miniſtri Chriſti ſe abdicare non debeant munere ſuo, aut gregem Chriſti ſibi commendatum deſerere: verum, ut Chriſti miniſtri, legitimo modo ac ordine, per vocationem legitimam in Eccleſia ab ipſo conſtituti, Chriſto domino ſuo & Eccleſiæ ipſius, qua poterunt ratione commodiſſima inſervire.

Cap. XIV.

In quo inſignis viri D. Petri Martyris ſuper hac re ſententia expenditur.

Aliquando hic provocatur ad viri Doctiſſimi D. Petri Martyris authoritatem, ut qui videtur interdum iſti ſententiæ de Architectonica ſupremi Magiſtratus in rebus Eccleſiaſticis poteſtate, deque Eccleſiaſticæ poteſtatis ſub illa ſubordinatione,

ne, haud parum favere: præsertim cum in octavū caput lib. 1. Sam. & in locis Comm. Class. 4. loc. 3. parag. 5. & 6. disputans contra Pontificios de duobus capitibus, quorum alterum sit Politicum, nempe supremus magistratus; alterum Ecclesiasticum, nempe Papa: & docens ineptum esse quod sic statuunt, inter alia sic loquitur. *Frustra ergo illigarriunt, & ministris suis adjungunt duo capita. Quid ergo? (inquies) an imperabit Magistratus ministris & concionatoribus? Respondeo, Verbum Dei & sacramenta nulli potestati subjiciuntur: ministri autem subjiciuntur bifariam, & quod ad mores, & quod ad functionem attinet. Nam si aut perditè vivant, aut officium non faciant, possunt corripi à Magistratu & summoveri. Sed ad huc isti somniant sibi, aliam civilem potestatem Ecclesiasticam, aliam profanam: quarum alteram tribuunt Papæ, alteram Magistratui. Sed frustra: Nam quod ad Ecclesiasticam potestatem attinet, satis est civilis Magistratus. Is enim, ut ait Aristoteles in Politicis, curare debet ut omnes officium faciant, ut jurisconsulti, ut medici, ut rustici, ut pharmacopolæ: inter quos numerare etiam possumus ministros & concionatores. Quid hic opus est multiplicare capita? Salomon, David, Iosias cum essent Magistratus civiles, tamen putabant religionem à sua cura non esse alienam. Constantinus, Theodosius, Iustinianus, nihil magis cogitabant quam ut*

 veram

veram Dei Ecclesiam instituerent. Quare nihil erat opus, ut isti novum sibi caput excitarent in Ecclesia, & præsertim ad constituendam tyrannidem. Ecclesia enim habet seniores qui curare debent quo ordine omnia fieri debeant: ut autem fiant Magistratus debet providere. Huc usque Martyr, qui sententiæ illi de subordinatione, quam ostendimus approbari à nobis non posse, plurimum favere videtur.

Sed hic observandum. 1. Quod D. Martyr hæc, & quæ sequuntur, non accuratè satis omnia relegerit & expenderit. Sic enim *Iosias Simlerus* in præfatione istorum in libros Samuelis Commentariorum de illis loquitur. *Potuissent quidem hæc omnia, fateor, ornatius ab ipso authore edi, verum is sex tantum capita primi libri recognovit: reliqua amici ipso legente exceperunt, quæ etsi magna ex parte postea ab ipso lecta sint, non tamen æditioni publicæ parata fuerunt. Quapropter si fortè quædam non ita aptè suo loco posita videbuntur, si oratio nonnullis in locis est concisior, si eadem sententia aliquando iteratò aliis tamen verbis repetitur, non in authorem, sed in me, omnis culpa conferatur. Author enim ipse hæc, si vixisset, emendaturus erat: Ego verò etsi alioquin multum in hoc opere recognoscendo laboravi, tamen ea quæ mihi non satisfaciebant, neque immutare volui, neque, ut puto, debui. Nam in alieno opere non existimavi me*

oportere

oportere quidpiam temerè immutare, præsertim ubi viderem ac judicarem me fortè assequi non posse authoris consilium. 2. Quod hic disputet contra Pontificios, qui duo capita comminiscuntur, alterum civile, alterum ecclesiasticum; & quidem caput ecclesiasticum civile faciunt, id est, pollens potestate externa coactiva. Certè ad potestatem externam coactivam unum caput civile sufficit, nec opus est capita illic multiplicare. Quare quod ad Ecclesiasticam potestatem sufficere dicit civilem Magistratum, intelligendum est quoad illa potestas potestate coactiva indiget, ut docet & scopus loci, & res ipsa, quia alioqui potestas omnis Ecclesiastica ad solum Magistratum civilem esset devoluta, quod ne ipsos quidem subordinationis patronos velle existimo. 3. Quod inter se conjungat supremos Magistratus planè dissimiles, ut supremos Magistratus veteris & novi testamenti; & rursum Test. Vet. qui spiritu prophetico fuere donati, & qui nil fuere nisi Magistratus. Quænam inter illos sit dissimilitudo supra satis est explicatum. 4. Quod dicit ministros & Pastores si, aut perditè vivant, aut officium non faciant, posse corripi à Magistratu & summoveri, non est absolutè sic intelligendum quasi nulla hic debeat vigere disciplina ecclesiastica, nec quasi id facere debeat aut possit neglecto & prætetito judicio ecclesiastico: sed ut opponitur

sententiæ & conditioni ecclesiæ Pontificiæ, in qua Magistratus simpliciter & absolutè subjicitur Pastoribus & ministris ecclesiasticis, id est, Episcopis illis hierarchicis & præsertim summo illorum capiti, id est, Papæ; simulque omnia à capite ad calcem corrupta sunt, quæ nec ab ullo reformari, nec ulla potestate civili externa coactiva removeri volunt. 5. Non satis prudenter factum, quod, cum de potestate Ecclesiastica agitur, Aristotelis authoritatem in medium adducat.

Sed 6. observanda sunt alia quædam ipsius dicta aliquanto prudentiora & accuratiora, quæ inveniuntur in Comment. in lib. Iudic: cap. 19. subfinem, vel in loc. Comm. Classʃ. 4. loco 13. sect. 9. & 10. *Pauca (inquit) præfabor de duplici potestate, Ecclesiastica, inquam, & Civili. Cum præfertur potestas Ecclesiastica omni civili functioni non est nihil quod dicitur, modo rectè & commode intelligatur. Omnis potestas Ecclesiastica verbo Dei nititur, ita ut absque eo nulla sit. Verbum autem Dei communis est regula, qua omnia & dirigi & temperari oportet. Docet enim qua ratione gladius externus & Resp: debeat administrari: In universum etiam demonstrat quemadmodum omnia ab omnibus gerenda sint. Ecclesiastica itaque potestas ad hunc modum omnia complectitur, quia ex verbo Dei omnibus in rebus invenit quod consulat. Nihil enim*

enim est in toto mundo ad quod verbum Dei se non extendat. Quo circa longè falluntur qui clamitare solent. Quid concionatori cum Republica? quid cum armis? quid cum pharmacopolis? quid cum cocis? At dicant ipsi, quando Minister verbi animadvertit in iis rebus legem Dei violari, cur non reprehendat ex verbo Dei? cur non admoneat? cur non hortetur ut à peccato desistant? Ejus profecto est corripere peccantes, non quidē gladio, nec pecuniaria mulcta, non carcere, non exilio, sed suo modo, hoc est vi & potestate verbi Dei: Hucusque rursus Martyr.

Duobus sese opposuit adversariis, sed diversi generis imò in contrarium nitentibus, Pontificiis sc: qui potestatem Ecclesiasticam nimis magni faciunt, eique omnis ordinis homines, quos ab omni cura religionis excludunt, cæca obedientia subesse volunt: & libertinis quibusdam, sive pseudo Politicis, qui potestatem illam nullius faciunt, & oeconomica quævis ac politica, & similia inspectioni ejus eximunt. Utrisque se acriter opponit: Pontificiis imminuendo & supprimendo potestatem, Ecclesiasticam, quippe quam Pontificii in tyrrannydem converterunt: Libertinis vero hisce & dissolutis hominibus, eam evehendo, & omnia ei subjiciendo, quippe quam hi abolitam quasi penitus & sublatam cupiunt. Hinc est quod ita sibi contradicere videatur. Illic Ecclesiasticam potestatem

subji-

subjicendo, civili, & multa ei adimendo: hic è contrario omnia ei subjiciendo. Qua in re, cum quis adversariis cum contentione aliqua se opponit, fervore illius abreptus, & hoc unum satagens ut ab extremo illos revocet, facile vel hallucinatur, vel contendendo nimis in contrarium vergit, aut saltem vergere videtur. Videamus an non aliqua hic possit inveniri conciliatio.

Cum egisset de latissima extensione potestatis ecclesiasticæ, pergit ad Politicam. *Rursus* (inquit) *politica potestas ad omnia extenditur quæ ad politicam potestatem pertinent. Sed quonam tandem modo? An requiret civilis potestas bonos animi motus, & intimam penitentiam? Non potest ipsa hæc efficere, optabit tamen ut habeantur, & utetur iis mediis per quæ haberi possint. Curabit enim ut Episcopus, Pastores & Doctores in Ecclesia purè doceant, paternè reprehendant, & ex verbo Dei administrent sacramenta. Hæc quidem per se non facit Magistratus, sed curare debent ut sint ad manus qui ea rectè faciant. Proinde utraque potestas latissimè patet, & omnia complectitur, sed non eodem modo. Sed quis iste modus diversus?* Explicat postea cum dicit, *Quicquid est discriminis, totum est, ut dixi, quo ad modum coercendi. Ministri Ecclesiæ id verbo faciunt, Principes externis pœnis. Audimus utramque potestatem latissimè patere, & omnia utrique potestati esse subjecta, & discrimen*

crimen solum esse in modo coercendi: quia sc: potestas civilis pollet vi externa coactiva, ecclesiastica verò interna, motiva, *& conversiva per Spiritus sancti operationem.* Huc etiam facit quod sect. 11. dicit. *Subjicitur. Ecclesiastica potestas Magistratui, non spirituali subjectione, sed politica. Nam quod ad sacramenta & conciones attinet, non ei subjicitur, quia Magistratus verbum Dei & sacramenta, quibus ministerium utitur, non potest inflectere, neque cogere pastores aut doctores Ecclesiæ, ut aliter doceant, vel secus administrent sacramenta, quam à verbo Dei præscriptum fuerit. Ministri tamen, quatenus homines sunt & cives, unà cum agris, opibus, & possessionibus suis, absque ulla dubitatione Magistratui subjiciuntur. Ita Christus tributum persolvit, sic Apostoli, sic tota primitiva Ecclesia, cum essent viri sanctissimi. Mores etiam eorum censura ac judiciis Magistratuum sunt obnoxii.* Audimus. 1. omnia non minus subjecta esse potestati Ecclesiasticæ, ac subjecta sunt potestati politicæ. Discrimen esse in solo coercendi modo: quia potestas politica id facit gladio & pænis externis, Ecclesiastica verò vi & potestate verbi Dei. Quod idem Martyr rursus sic explicat sect. 10. *Duæ sunt subjectiones, una Politica & civilis, cui subjiciuntur omnes homines. Qui si quid offenderint in leges, expectant à justis magistratibus carcerem, mulctam pecuniariam, exilia, mor-*

tem,

tes, & externas pœnas: sin rectè fecerint, honores, præmia, dignitatem, & laudem. Hoc autem pacto civilis potestas non subjicitur ministerio verbi, quia non istis pœnis ab illo affici potest & coerceri. Altera subjectio est spiritualis, hoc est, fidei & obedientiæ. Statim enim ubi audiunt homines de officio suo ex verbo Dei, & hoc vel illud faciendum esse, illud autem vel illud evitandum, cedunt, credunt, & obtemperant, quia quod dicitur, esse verbum Dei sentiunt. Atque hi sunt utriusque potestatis fines. Duplex cum nobis exhibita sit, coercitio, altera à potestate civili, quæ fit gladio & pœnis externis; altera quæ virtute verbi divini, duplex etiam exhibetur subjectio, Civilis sc: respondens civili potestati & coercitioni, & spirituali respondens ecclesiastica. Potestatē civilem suo modo, ut pænas sc: externas infligentem, ministerio & potestati spirituali subjectam non esse docet, eo quod potestas Ecclesiastica tales pænas infligere, iisque politicam coercere non possit. Sic igitur è contrario potestas Ecclesiastica suo modo, ut sc: verbo Dei arguit, & disciplina Ecclesiastica coercet, politicæ subjecta non est, eo quod arma ista spiritualia, in verbi ministerio, & clavium administratione, politicæ potestati à Deo tradita non sint. Audimus. 2. Potestatem quidem Ecclesiasticam Magistratui esse subjectam, non tamen spirituali subjectione, sed politica; quia ministerium

ſterium verbi & ſacramentorum, quà tale, Magiſtratui ſubjectum non ſit: miniſtros tamen quatenus homines ſunt & cives, ſine dubio Magiſtratui ſubjici. Hoc prorſus convenit cum eo quod ante docuimus de diſcrimine regni ſpiritualis Chriſti, & univerſalis Dei, in quo priori à Chriſto conſtituta eſt poteſtas Eccleſiaſtica, in poſteriori à Deo poteſtas politica. Poteſtas Eccleſiaſtica ſpirituali ſubjectione poteſtati politicæ ſubjici non poteſt, quia vim ſuam obtinet à Chriſto ſpirituali rege in regno ipſius ſpirituali. Miniſtri autem, quatenus homines & cives, ſubjectione politica Magiſtratui ſubjecti ſunt, quia quà tales ſunt in regno Dei univerſali ſive potentiæ, ſub poteſtate politica in illo à Deo conſtituta.

Dicet aliquis, Martyrem addere, quod propterea addendum quoque ſit, *Non ſolum quoad iſta quæ recenſuit miniſtros Magiſtratui ſubjici, ſed etiam quoad functionem. Quia ſi non rectè doceant, nec ex ordine adminiſtrent ſacramenta, Magiſtratus eſt eos in ordinem cogere, ac videre ne impurè doceant, neve fabulas admiſceant, neve ſacramentis abutantur, aut aliter ea tradant quam Dominus juſſerit. Item ſi male ac perditè vivant, eos rejiciet à ſacro miniſterio.* Sed attendendum an hoc ſatis conveniat cum eo quod dixit, ſc: *Eccleſiaſticam poteſtatem Magiſtratui ſubjici, non ſpirituali, ſubjectione, ſed politica.* Nam ſi hoc ita abſolutè

solutè verũ est, certe Ecclesiastica potestas etiam spirituali subjectione Magistratui subjecta erit. Intelligendum ergo de politica subjectione ratione publici quod Magistratui subest, juxta id quod jam à me explicatum est: alioqui Martyr sibi ipsi directè contradiceret, quod de tanto viro non cogitandum. Observa autem Martyrem oppugnare Papistas, & reprehendere ac refutare abusum potestatis Ecclesiasticæ in Papatu, in quo ita illam evexerunt, ejusque limites protulerunt, ut nullam cujuscunque hominis reprehensionem, aut coercitionem, velint admittere; sed omnes omnino cæca obædientia, absque ullo examine aut inqnisitione, ei velint subesse. Quia qui in Ecclesia Ministerio funguntur homines sunt, infirmitatibus suis, erroribus, & affectibus, obnoxii, fieri potest ut in multis hallucinentur, errent, à veritatis & sinceræ pietatis tramite aberrent, seducantur ipsi & alios seducant; quare cuilibet licet in doctrinam illorum inquirere, eamq; appendere ad trutinam verbi divini. Licet hoc privatis, ne errantes in errore sequantur: Licet patribus familias, ut suos ab errore tueantur: Licet imò injunctum est, Pastoribus & Inspectoribus Ecclesiæ, ut se, suosque collegas, & Ecclesiam suam, rectè curent & accurate observent, ut & ipsi benè doceant, & secus facientes reprehendant & corrigant: Licet etiam

etiam Magistratibus, imò mandatum est ipsis, ut in subditorum suorum bonum hujus rei curam habeant, efficiantque ut vera religio publicè in ipsorum ditionibus vigeat. Si ergo subditos suos male doceri, & in errores seduci videant aut observent, & & ab iis quorum id munus est, in corruptelam istam & seductionem non animadverti, cur non è publico seductores istos suà potestate coactiva removeant; aut, vigente in Ecclesiis disciplina, qui Ecclesiasticè de erroribus convincuntur, & ab Ecclesiæ communione arcentur, Ministerioque indigni judicantur, à publico abstinere cogant; ut, corruptelis remotis, veritas & religio incontaminata obtineant? In Papatu omnia sunt corrupta, & quidem per potestatem Ecclesiasticam corrupta. Potestas illa nimium sibi tribuens, doctrinam & religionem integram adulteravit; Ecclesiam oppressit, eamque sibi in omnibus suis corruptelis & abominationibus auscultare & obtemperare coegit, & etiamnum cogit: Ecclesiasticè ex verbo Dei reprehendi se nõ patitur: Nemini licere de Ecclesia, cujus summã authoritatem Pontifici suo tribuit, judicium ferre contendit: Magistratũ bono spirituali subditorum suorum studere, non nisi ex sua libidine permittit: Hinc potestate Magistratuum coactiva in ordinem se redigi non permittit: Quin & Magistratus quoslibet sibi, suove Pontifici, in omnibus

bus subesse jubet. Hæc omnia corrigenda esse meritò censent Reformati. Itaque ex solo verbo Dei, non ex prætensa Ecclesiæ sententia, sentiendum & docendum esse statuunt: Omnes ad lectionem & scrutationem verbi divini admitti volunt: Singulos, etiam privatos, ne errent & in errorem seducantur: Patres familias, ut ex eo domesticos suos de pietate, erudiant, & ex solis fidis Pastoribus ac Doctoribus sanam doctrinam haurire faciant: Pastores etiam, non tantum ut ipsi sanè doceant, sed etiam, si quos sui ordinis haud satis sanè docentes observent, ex eo corrigant, & disciplina Ecclesiastica in ordinem redigant, aut ab ovili Christi arceant: Magistratus verò, ut veram religionem in subditorum suorum bonum in publico stabiliant, tueantur, & promoveant. Ita quod hac in parte peccatur contra Magistratum quem sibi brutè in omnibus subesse vult Papatus, ejusmodi dictis & sententiis reparare orthodoxi satagunt. At propterea Ecclesia non amittit indolem, libertatem, ac jus suum, quo ipsi licet, imò ipsi incumbit, de sua doctrina & religione judicare ac statuere: pastores & Episcopos sibi præficere: Magistratu de religione non bene judicante, doctrinam suam verbo Dei confirmare, tueri, ac propagare. Quod Ecclesiæ minimè liceret, nisi ejus rei potestatem à Christo capite & rege suo spirituali accepisset.

pisset. Quo facit quod D. Martyr in cap. 8. Samuelis primi & locis Comm. Class. 4. loc. 3. sect. 6. rectè observavit. Cum enim dixisset, *Quare nihil erat opus ut isti* (vid: Pontificii) *novum sibi caput excitarent in Ecclesia*, & præsertim ad constituendam tyrannidem: *Ecclesia enim habet seniores, qui curare debent quo ordine omnia fieri debeant: ut autem sint Magistratus debet providere.* Cum (inquam) id dixisset, objicit sibi hunc scrupulum. *At quid si Magistratus sit impius?* Et respondet. *Tamen est Ecclesia, sunt seniores sunt Episcopi: ab istis statui & decerni debet quid in religione fieri oporteat.* At (inquā) non debent id facere nomine alicujus hominis aut Magistratus, sed nomine ipsius Dei, aut Christi filii ipsius, ut Capitis Ecclesiæ. Nam si nomine Magistratus, nequaquam id ipsis concederetur. Unde patet Ecclesiam, quà talem, Magistratui subordinatam non esse. Nihilominus Magistratus est Ecclesiam in publicum producere, & in eo tueri ac conservare: & secundum illam in publico constitutionem, ac potestate coactiva defensionem, Ecclesia Magistratui subest, quia illa ratione se ipsam tutari nec potest, nec debet, nec nisi à solo Magistratu defendi potest. Atque hinc conatur aliquo modo explicare & excusare titulum Regis Angliæ, quo se Caput Ecclesiæ appellavit, vel appellari voluit: nimirum quod eam potestatem, quæ ipsi

ipſi de religione in publico competit, Papa autem ipſi ereptam ſibi attribuerat, titulo iſto indicare voluerit. *Putavit* (inquit Martyr) *eam poteſtatem quam ſibi Papa uſurpaverat ſuam eſſe, & in ſuo regno* (obſerva in ſuo regno) *ad ſe pertinere. Inſolens quidem* (ait) *erat titulus, & multis piis diſplicuit: ſed ſi rem ipſam conſideremus, nihil aliud ſibi voluit quam quod jam diximus.* Hæc omnia ritè conſiderentur, & facile obſervabitur D. Petri Martyris ſententiam ſententiæ noſtræ non contrariari.

Cap. XV.

In quo argumenta D. Parei pro propoſitione ſuâ octavâ, ſupra cap. 10. *conſideratâ, excutiuntur.*

Vidimus ſupra capite decimo propoſinem octavam *D. Davidis Parei* de *Architectonica poteſtate ſupremi Magiſtratus in rebus Eccleſiaſticis*: quæ interea tradita fuerunt, faciunt ad pleniorem poteſtatis iſtius explicationem, cognitionemque fundamenti quod dicitur illa habere in S. Scriptura. Tempus jam erit ut ea examinemus argumenta, quæ D. Pareus ad propoſitionem illam ſuam confirmandam produxit. Propoſitionis illius pars iſta quæ hîc conſideranda venit, ſic habet. *Sic* (ſc: ſicut

ſicut bonum civile ſubditorum curare debet) *circa bonum ſpirituale ſubditorum debet curare Magiſtratus ut pura religio vigeat in Eccleſia ſecundum verbum Dei*. Hæc verba id videntur indicare, quod, ſicut curator & gubernator eſt boni civilis in republica, ſic etiam curator & gubernator boni ſpiritualis ſit in eccleſia. Videamus quid arguant ipſius argumenta.

Primum eſt. *Cura utriuſque boni ſubditorum diſtricta & ſumma incumbit poteſtati civili Architectonica. Atqui ſine iſtis omnibus, cura ſpiritualis in poteſtate civili non erit diſtricta & ſumma, imò erit nulla: Ergo circa hæc omnia poteſtas νομοθετικὴ occupatur*. Major debet intelligi de ſumma poteſtate inter homines, in ditione cui poteſtas illa architectonica civilis præeſt. Probat illam dicto Apoſtoli, *Eſt miniſter Dei tibi in bonum,* & mandato Dei Deut. 17. & Ioſuæ. 1. Prout major iſta inde poteſt extrui, haud difficulter à nobis admittitur: Addit præcognitum ſecundum ſupra poſitum: quare quod ſupra ad illud præcognitum fuit obſervatum, hic quoque obſervetur. Minor debet explicari, quia dicit (*ſine iſtis omnibus*) intelligit ea quæ ad ſupremi Magiſtratus, circa bonum ſpirituale ſubditorum, curam dicit pertinere: vid. primò, *Vt bonum ſpirituale veræ religionis probe cognoſcat. 2. Vt orthodoxa fidei canones de doctrina & oeconomia Eccleſiaſtica,*

hoc

hoc est, ritibus & officiis Ecclesiasticis ordine ac decore peragendis, juxta normam sacrarum scripturarum ligitimè sanciat. 3. Vt judicia Ecclesiastica ordinaria, hoc est presbyteria, synedria & consistoria Ecclesiasticorum, ubi desunt, cum authoritate constituat, à quibus pastores & Ministri Ecclesiæ ad docendi munus idonei, juxta canones & exempla Apostolica, eligantur, vocentur, ordinentur Ecclesiis præficiantur, transferantur, suspendantur, causa legitimè cognita deponantur, si opus sit. 4. Provideant ut doctrina sacrarum scripturarum purè, & ad ædificationem Ecclesiæ, à pastoribus dispensetur, sacramenta juxta institutionem divinam administrentur, disciplina, à Christo instituta legitimè exerceatur & præstetur. Cui cohæret alia, cura, ut seminaria doctrinæ cælestis, linguarum, & artium bonarum, seu scholæ Ecclesiis adjuncta sint atque vigeant. Postremò ad doctrinæ cælestis puritatem atque consensum conservandum, ad gubernatores & pastores Ecclesiæ in officio continendos, ad contraversias religionis & vitia quævis oeconomiæ Ecclesiasticæ cognoscenda, corrigenda, tollenda, præter ordinaria judicia, etiam Synodos classicas, aut provinciales, quoties, opus videbitur, instituet, earumque actiones & judicia authoritate publica moderabitur. Hæc sunt ad quæ D. Pareus respicit in sua illa minore. *Sine istis omnibus* (inquit) *cura spiritualis in potestate*

testate civili non erit districta & summa, Major itaque dicit summam curam spiritualem boni spiritualis subditorum competere supremæ potestati civili architectonicæ. Minor subsumit, ad summam illam curam spiritualem spiritualis boni pertinere omnia jam indicata. Concludendum erat, Summam itaque curam spiritualem potestatis civilis architectonicæ versari circa illa omnia, eaque omnia sic curare ut curat bonum civile subditorum: ut conclusio conveniat cum præmissis, & includat id quod in positione demonstranda positũ fuit. Sic haberemus caput Ecclesiæ in terris visibile, non quidem caput Ecclesiasticum, sed Civile; ac proinde Papam Politicum loco Ecclesiastici. Nam qui suprema spirituali sive architectonica potestate providet, ut doctrina sacrarum scripturarum purè, & ad ædificationem Ecclesiæ, à pastoribus dispensetur, sacramenta juxta institutionem divinam administrentur, disciplina à Christo instituta legitimè exerceatur & præstetur: Qui ad doctrinæ cælestis puritatem atque consensum conservandum, ad gubernatores & pastores Ecclesiæ in officio continendos, ad controversias religionis, & vitia quævis oeconomiæ Ecclesiasticæ cognoscenda, corrigenda, tollenda, præter ordinaria judicia etiam Synodos classicas aut provinciales, quoties opus videbitur, instituit, earumque

actiones & judicia authoritate publica moderatur, næ ille est Ecclesiæ in terris sub Christo caput.

Dicet aliquis. *Potestas illa architectonica, spiritualem curam gerens, non est absoluta, sed adstricta verbo Dei, & quidem in Scripturis revelato.* Resp: Et Pontifex Romanus adstringitur verbo Dei quod in Ecclesia sua revelavit. Discrimen esset, quod hic verbum quoddam ἄγραφον verbo scripto adjiciat. 2. Utenbogardus etiam sui potestatem architectonicam civilem verbo Dei scripto adstringunt, attamen quod eo non minus Papismum Politicum moliantur, supra clarè ostendimus. Dicet porrò. *Potestas ista architectonica ex nostra sententia non subjicit sibi conscientias hominum cæca obædientia, sed si in negotio religionis erret, concedimus subditis ut veram ac puram religionem amplectautur* & profiteantur. Rogo an illis subditis licitum sit suos sibi habere pastores & inspectores, qui, vel insciis, vel renitentibus, summis Magistratibus, saltem non concedentibus, verbum Dei purè ipsis prædicent sacramenta administrent &c.? Hoc dicendum. Ea ergo in parte cadit architectonica potestas, nec ita procurat ac gubernat bonum spirituale subditorum, sicut procurat & gubernat civile. Nam in bono civili nequaquam hoc conceditur. Ita in primo hoc argumento deficit propositionis istius probatio.

Videa-

Videamus autem & minoris istius probationem vel potius explicationem, ut vis argumenti hujus adhuc clarius pateat. *Sine illis omnibus* (audivimus jam quæ sint) *cura spiritualis in potestate civili non erit districta & summa, imò nulla erit, si tantum ad nutum Episcoporum tenebitur credere, subditos ad credendum cogere, in recusantes gladium stringere. Neque enim* (inquit) *hæc erit potestas νομοθετικὴ, sed misera & perniciosa servitus, quæ jam olim Ecclesiam pessumdedit*. Fatemur, & proinde laudàndus Pareus, quod servitutem, in quam Ecclesiæ Romanæ Episcopi, Magistratum cum plebe redegerunt, profliget: verum an hoc non, nisi ad alterum extremum declinando, fieri posset? Probandum erat D. Pareo, *Architectonicam potestatem, quæ νομοθετικὴ seu regia est, sicut circa bonum civile subditorum debet curare ut jus vigeat in republica secundum leges: sic circa bonum spirituale subditorum debere curare ut pura religio vigeat in Ecclesia*: sive, *Curam spiritualem de bono subditorum spirituali districtam & summam esse in potestate suprema civili:* An ad hoc probandum sufficit ostendere miseram esse Magistratus, sive summæ potestatis, servitutem, si tantum ad nutum Episcoporum tenebitur credere &c.? An suprema potestas ab ista servitute liberari non potest, nisi è contrario Ecclesiastica omnia ipsi subjiciantur, ut illa omnia

architectonicè moderetur & gubernet? Et rursum, An non potest architectonica illa potestas in spiritualibus negari supremo Magistratui, nisi in servitutem illam Ecclesiasticam redigatur? Sic ergo opus erit Ecclesiæ architectonica sub Christo in terris potestate cui subsit, vel Ecclesiastica, vel Civili, adeoque Pontifice aliquo, sive Capite visibili, aut Politico, aut Ecclesiastico; ita ut uno rejecto, alter recipi; uno negato, alter concedi debeat. Consideretur ergo an media inter duas illas extremas via ex supra explicatis commonstrari non possit.

Argumentum secundum. *Ejusdem potestatis est leges condere, & conditas tueri, sicut & interpretari, nempe ἀρχιτεκτονικῆς L. 12. si imperialis. Cod. de Legibus Principis: Fatentur verò adversarii, Principis esse leges religionis & cultus divini tueri. Ejusdem igitur est leges easdem condere, non quidem pro libidine, sed juxta præcognitum tertium.* Sed hoc argumentum nihil ad propositionem probandam, quippe quæ non loquitur de legibus ferendis, sed de cura circa bonum spirituale communiter. Deinde & ipsi adversarii, per quos intelligit Pontificios, tribuunt Magistratui supremo potestatem leges ferendi de religione. Hinc enim variæ Imperatorum & Regum leges pro religione Pontificia contra hæreticos quos vocant. Legibus autem istis sua de Re-

de Religione decreta stabiliri volunt Ecclesiastici Pontificii. Itaque hoc interest inter nos & adversarios, quod obædientiam, quam nos à summis Magistratibus exhiberi volumus, Deo & Christo ejus, ac proinde & verbo Dei velimus exhiberi; Pontificii autem suo Pontifici, ejusque decretis. Verum 3. quid si sic argumenter, ejusdem potestatis est leges abrogare, cujus est eas condere, conditas tueri & interpretari: Pareus autē supremæ potestati tribuit potestatem leges condendi, tuendi, & interpretandi: Ergo tribuere & ipsi debet eas abrogandi. Unde porrò concludere licebit, est ergo penes supremā potestatem, Leges justas & bonas de bono civili subditorum, itemque sanctas & pias de vera religione abrogare. An hoc sequitur? nequaquā. Quæ est ratio? An alia quā quod etiam supremus in terris Magistratus superiorem supra se Dominum in cælis debet agnoscere? Observandum hîc ergo potius cum subjectione ministerium Deo & justitiæ præstandum. Quare haud parum hîc labefactatur illa quam adeo urgent Architectonica potestas.

Argumentum tertium. *Potestas cui omnis anima, ne Apostolis quidem aut sacerdotibus exceptis, debet subjecta esse, habet jus νομοθετικὸν circa omne bonum subditorum: At potestati supereminenti, qua est regia vel principatus, omnis anima debet subjecta esse, nullis exceptis: Regia igitur potestas jus habet*

habet νομοθετικὸν circa omne bonum subjectorum, proinde & circa bonum spirituale & Ecclesiasticum. Nec hoc argumentum concludit quod in propositione habetur, nimirum, *Potestatem supremam sic debere curare, circa bonum spirituale subditorum, ut pura religio vigeat in Ecclesia; sicut circa bonũ civile curat ut jus vigeat in republica.* Novimus Magistratui supremo competere jus νομοθετικὸν circa bonum spirituale subditorum; sed in Republica, non in Ecclesia: deinde non absolutum sicut circa multa quæ concernunt bonum civile, ut hactenus satis explicatum. Itaque ibi est disparitas aliqua. Audivimus D. Martyrem dicentem, *quod potestas Ecclesiastica circa omnia versetur; quodque Magistratus spirituali subjectione subsit potestati Ecclesiastica, saltem verbo Dei quod potestas Ecclesiastica administrat.* Quid si inde sic argumentemur, Quod alteri superiori potestati subest, cui præcisam sine ulla dispensatione, tenetur præstare obædientiam, id non habet potestatem architectonicam: Sed Magistratus supremus in causa religionis alteri potestati superiori, scil: verbo Dei, subest, cui præcisè tenetur in omnibus, absque ulla dispensatione præstare obædientiam: Ergo supremus Magistratus in causa religionis non habet potestatem architectonicam. Et hoc ipse D. Paræus in probatione majoris agnoscere tenetur & agnoscit,

noscit, quando illam à correlatis sic probat. *Cui enim subjecti sumus, is nobis, sive sua, sive superioris authoritate, leges dare potest.* Animadverte (*sive superioris authoritate*) Qui enim superioris authoritate leges dat, non dat eas architectonicè.

Argumentum quartum. *Quod potestati regiæ circa bonum subditorum competit jure gentium id multò magis ei competit jure divino: At potestati regiæ jure gentium competit cura, dispositio, & moderatio optima circa bonnm spirituale subditorum, hoc est, circa religionem: Ergo multò magis jure divino religionis cura & moderatio ei competit.* Observandum aliud esse curam circa religionem, aliud religionis moderationem: quare non omnibus quibus cura circa religionem competit, competit religionis moderatio. Plus ergo concludit argumentum quam propositiones ambæ complectuntur. Infert porrò *Potestati regiæ simpliciter competere curam moderationem religionis simpliciter: regiæ verò Christianæ curam & moderationem religionis Christianæ.* Sed, quod bona venia D. Paræi dictum velim, hîc hallucinatio. Considerentur ea quæ supra tradita sunt de discrimine religionis, prout fluit à naturâ quæ comprehenditur lege, & prout fluit à gratia quæ manifestata est in Euangelio: Etiam de discrimine regni Dei universalis, quod dicitur potentiæ, & regni specialis, quod est

gratiæ, cui præfectus est Iesus Christus, ut redemtor electorum ac fidelium, & caput ac Rex spiritualis Ecclesiæ: De accidentali quoque conjunctione Regni & Christianismi: quæ hîc repetere non est necessarium.

Paræus allegat Stapletonum, concedentem quidem *quod Religio in genere, vel in thesi ex lumine naturæ accepta, communi jure gentium sit introducta*: negantem verò *potestatem suam Ecclesiasticam, quæ religionis Christianæ curam habet, esse derivatam à jure gentium, cum sit immediatè à Christo data Apostolis, eorumque successoribus*: dicentemque *quod illi ex reformatis, qui supremo Magistratui architectonicam in rebus Ecclesiasticis potestatem tribuunt, pugnantia doceant, dum contendunt cultus, non ab Ecclesia præscriptos, sed à solo Christo institutos, & in Scriptura revelatos, admitti debere: & tamen nunc, ut potestatem Ecclesiasticam ab Episcopis ad Laicos transferant, asserunt potestatem eam à jure gentium fluere.* Et respondet Paræus, *Exceptionẽ istam non solvere suum argumentum, sed confirmare,* idque hac ratione probat. *Si enim* (inquit) *jus gentium tribuit potestati regiæ moderamen religionis in thesi, utique non negat eidem competere in quâvis hypothesi.* Sed, bonâ pace D. Paræi, dico eum hic rursum vehementer falli. Nam 1. Aliud est cura circa religionem, à quâ incepit: aliud mode-

moderamen religionis, in quod desinit. 2. Etiamsi gentes in cæcitate sua moderamen religionis Regibus suis tribuerint, aut Reges id sibi sumserint, inde tamen non sequitur Regibus illud competere. 3. Haud satis rectè argumentatur D. Paræus in hac suâ responsione. Ex eo quod cura Religionis in genere jure gentium competit Regibus concluserat argumentum Paræi, etiam religionis Christianæ in specie regibus Christianis competere. Illam sequelam negavit Stapletonus: & dedit negationis suæ rationem, *quod religio Christiana, & potestas Ecclesiastica quæ ejus curam habet, non sit derivata à jure gentium, sed immediatè à Christo data.* Ad refellendam istam negationem, ejusque rationem, ostendendum erat D. Paræo, quomodo cura religionis, quæ à Christo demandata est Ecclesiasticæ potestati, ab illa translata sit in supremam potestatem politicam. Ejus autem loco tantum modo dicit, *Ius gentium, quod potestati regiæ tribuit moderamen religionis in genere, non negare quod illa eidem competit in quavis hypothesi.* Certè non negatio rei non probat ejus affirmationem. Sed addit Paræus, *Etsi jus gentium veram hypothesin circa religionem & potestatem ecclesiasticam definire non potuit, sed Deus immediatè olim suo populo eam præscripsit, & Christus tandem mundo revelavit, atque Apostolis in toto terrarum*

 orbe

orbe prædicandam demandavit: tamen jus divinum, regiæ potestatis officium circa religionem, olim Israeliticam, postea Christianam, nec diminuit, nec sustulit, sed apertè passim confirmavit. Stapletono, cum sua potestate Ecclesiastica, & falsa religione, longe abire jusso, ad hanc Paræi responsionem aliquid annotandum, ne in præjudicium rapiatur veræ à Christo institutæ Ecclesiasticæ potestatis. Verum quidem est, quod jus divinum non diminuerit nec sustulerit officium regiæ potestatis circa religionem: sed hoc non facit ad invertendam potestatē Ecclesiasticam, quam Christus dedit Apostolis, & eorum successoribus. Nam quum jus gentium, & potestas regia, nec bene curaret religionem, nec potis esset convertere corda hominum ad Deum, multò minus manifestare Euangelium, aut gratiam Dei in Euangelio oblatam, vel ostendere modum aperiendi regnum cœlorum; ipse Dei filius, in mundum missus ad constituendum & propagandum regnum suum spirituale, ministris suis Apostolis, eorumque sociis & successoribus, prædicationem Euangelii sui & promotionem regni, cum potestate clavium regni cælorum demandavit. Nusquam autem docetur quod Christus potestatem illam vel per Reges, aut potestatem Civilem, ipsis commiserit; vel eam, ab illis in Reges, aut supremos Magistratus, transtulerit: quod

quod tamen demonstrandum hîc esset.

Pergit Paræus, dicendo, *Non sequitur; Potestas Ecclesiastica circa curam Religionis est à Christo data Apostolis: Ergo non pertinet ad Regem.* Imo, inquam, sequitur, nisi probetur potestatem Ecclesiasticam, vel per Regem esse traditam Apostolis, vel Apostolis & Regi simul, vel ab Apostolis ad Regem esse derivatam. Sed dat rationem quare non sequatur. *Quia* (inquit) *luditur* ὁμωνυμίᾳ *potestatis Ecclesiasticæ, & cura circa eam: quatenus enim hæc potestas & cura à Christo data est Apostolis; proprie dicitur Ecclesiastica, & est munus prædicandi Euangelium, ligandi, solvendi, Sacramenta administrandi, &c. & sic Magistratui non competit: quatenus verò cura religionis etiam potestati regiæ divinitus est demandata, propriè non dicitur potestas Ecclesiastica, sed circa Ecclesiastica, & est* (inquit) *munus providendi ut vera religio, non utique ex jure gentium, aut humano arbitratu, sed ex fontibus Israelis, seu Scripturis sacris, à Pastoribus Ecclesiæ incorruptè tradatur atque servetur.* Habemus ergo potestatem Ecclesiasticam, à Christo immediatè Apostolis datam, quæ Regibus non competit. De Potestate autem & cura circa Ecclesiastica, ut omnia ritè intelligantur, explicandum esset, An munus illud *providendi ut vera religio, &c.* obiri debeat Ecclesiasticè, ad ministratione Clavium regni cælorum: ita

ut qui in religione delinquit arceatur à communione sanctorum, & participatione sacramentorum, & Pastor in veritatem peccans, si refractarius manet, exauthoretur, & muneris Ecclesiastici obeundi potestate privetur, &c. etiam in conventibus Ecclesiasticis è verbo Dei dispiciatur & judicetur, quid in Ecclesia tradi vel doceri debeat: an vero politicè gladio materiali, compescente externum hominem, falsam religionem, cum ejus proseminatoribus, è publico arcendo, mulctando, exterminando, &c. Hæc plerumque confunduntur, quæ tamen prudenter distinguenda sunt; nam ex eorum confusione magnæ interdum inter Magistratus & Ecclesiasticos oriuntur disceptationes, quæ accurata illorum distinctione, vel præveniri vel tolli facile possent. Et quia Paræus ista non satis accuratè distinxit, sua illa confusa explicatione haud paucis imposuit.

Argumentum quintum, *Omnium fidelium, etiam privatorum, est de fide & de religione judicare, non solum apprehensivo judicio, quo veram religionem intelligant, sed etiam discretivo, quo veram à falsa discernant: multò magis est Christiani Magistratus, non solum apprehensivè & discretivè, sed & definitivè de religione judicare: modo id faciat ordinatè per media debita, & juxta normam convenientem*. Addo, Sic tamen ut non adimat aliis suum definitivum

vum judicium. Nam & privatorum est de religione definitivè judicare, quam scilicet amplectantur & exerceant: Et pastorum atque inspectorum est de religione definitivè judicare, quænam in Ecclesia, cui præfecti sunt, vigere debeat: sicut & Magistratus definitivè judicat quam in publico admittere velit & debeat. Atque hæc omnia Papalem tyrannidem evertunt, & abusum potestatis, tum Ecclesiasticæ, tum civilis, penitus tollunt.

Argumentum sextum, *Princeps debet defendere veram religionem, falsam avertere, blasphemias & hæreses arcere: Ergo debet hæc singula cognoscere & judicare ex officio.* Hoc argumentum facit quidem contra cæcam quam Ecclesia Pontificia requirit obædientiam: attamen probat minus quam in demonstrandâ propositione continetur.

Argumentum septimum. *Quæ leges imperatoriæ tribuunt Principi, ea ad curam Principis pertinent. Sed leges imperatoriæ tribuunt Principi quæstionem, cognitionem, & judicium, non solum de civilibus, sed etiam de fide, quæ vera, quæ non vera sit; de officiis & ordinibus Ecclesiasticis, ut rectè dispositi se habeant: deniq; de personis, causis, litibus, & possessionibus Ecclesiasticorum. Ergo ad curam Principis hæc pertinent.* Observetur. 1. Majorem non esse satis firmam. Cura enim de rebus Ecclesiasticis, non ex legibus

legibus imperatoriis, sed ex ordinatione Dei peti debet. 2. Quædam hic confunduntur quæ non sunt ejusdem generis: de quibus ex iis quæ hactenus sunt explicata judicium ferri potest.

Cap. XVI.

In quo examinantur responsionis D. Paræi ad argumenta Stapletoni.

Sicut præcedenti capite consideravimus argumenta D. Paræi pro defensione propositionis suæ octavæ prolata, ita & operæ pretium erit considerare responsiones ab ipso datas ad argumenta, quibus Stapletonus, Papista celebris, Pontificiorum sententiam contra Reformatorum doctrinam confirmare nititur. Nam ut illorum argumentorum, ita & harum responsionum consideratio, negotio huic haud exiguam lucem fœnerabitur. Primùm respondet D. Paræus ad quæstionem Stapletoni, *An in Principe Laico sit potestas Ecclesiastica*, hoc modo, *Potestas Ecclesiastica dupliciter dicitur propriè vel impropriè seu interna & externa: quæ distinctio ex memorabili dicto Constantini Magni ad Episcopos petitur.* Vos estis Episcopi in Ecclesia: ego extra Ecclesiam, seu templum, Episcopus à Deo sum constitutus *Euseb. lib. 4.*

lib. 4. de vita Constanr. cap. 24. Propriè sic dicta, seu interna, quæ ab Ecclesiasticis Ecclesiasticè in ecclesia exercetur, docendo, solvendo, ligando, administrando sacramenta, &c. in Principe laico non esse conceditur. Impropriè dicta, seu externa potestas Ecclesiastica, est potestas νομοθετικὴ quæ circa Ecclesiasticas res & personas extra templum civiliter exercetur: hanc in Principe Laico esse asseveramus. Est ergo potestas Ecclesiastica quæ Principi non convenit: illa ergo potestas directioni & moderamini Principis subjecta non est. Si enim esset, deberet esse etiam in Principe, & quidem eminentiori modo, quam in personis Ecclesiasticis, in quibus illa propriè residet: sicut Civilis potestas quælibet, & quidem eminentissimo modo, est in Principe. Ast unde hoc? nisi quia à sublimiori potestate, potestate sc: divina Iesu Christi, capitis & regis spiritualis Ecclesiæ suæ, profluxit? Dictum Constantini Magni haud rite, ut oportebat, consideratum & allegatum esse, supra ostendimus. Progrediamur ad ipsa Stapletoni argumenta, & D. Paræi ad illa responsiones.

Primum Stapletoni argumentum est. *Oves nullam habent jurisdictionem in gregem, sed soli pastores: Princeps omnis secularis, seu Magistratus, est de numero ovium, non pastorum in Ecclesia: Ergo potestatem aut jurisdictionem Ecclesiasticam nullam habet.*

habet. D. Pareus reſpondet. 1. *Nulla eſt conſequentia à propria ad figuratam, vel contra: Et Hieroni: in tertum cap. Matthei rectè dicit; parabolas ad authoritatem dogmatum non proficere.* Sed quid ſi (inquam) figuratam convertas in propriam: Et hoc facile fit, cum attenditur ad id quod per figuratam propriè ſignificatur. Quapropter rectè dicitur ex ſcopo parabolæ, & genuino ejus ſenſu, rectè fieri argumentum, & hoc oportet ut ſit, alioqui nihil ex omnibus Chriſti parabolis poſſet concludi, ac proinde & nullam certam traderent doctrinam. Quod eſſet eas omnes explodere & inutiles facere. 2. igitur reſpondet diſtinctione majoris, *Oves non habent juriſdictionem in grege quatenus ſunt oves: habent verò quatenus ſunt paſtores*. Hic obſervandum. 1. Nihil aliud velle illam majorem, quam oves, quatenus ſunt oves, non habere juriſdictionem in gregem nec aliter poſſe eam intelligi. 2. Oves in grege ſuo, quatenus eſt grex ovium, non poſſe niſi oves eſſe, nec aliter conſiderari quam oves, ac proinde nec poſſe habere rationem paſtorum. Oves hîc ſunt fideles, quà tales, qui verbi divini pabulo paſcuntur, & pedo reguntur: paſtores verò ſunt qui fideles, ut tales, verbo divino & paſcunt & regunt. Fideles certè, quà tales, non niſi paſcuntur & reguntur. *Principes* (inquit) *ſunt oves in Eccleſia, quantum ad poteſtatem*

Eccle-

Ecclesiasticam propriè dictam: debent enim regi verbo, non regere verbum. Non verò sunt oves in Ecclesia, sed pastores in grege, quantum ad potestatem Ecclesiasticam impropriè dictam, hoc est, in quantum sunt Principes Christiani, νομοθετικὴν architectonicam habentes. Sic enim debent regere Ecclesiam, & Ecclesiasticos, non regi ab illis, juxta sententiam Apostoli, Est minister Dei tibi in bonum: Et Oportet subjici potestatibus non modo propter iram, sed etiam propter conscientiam. Hic considerandum primò, Quod Ecclesia sit grex spiritualis & ovile spirituale, non politicum: quare Magistratus in eo pastor esse non potest, nisi spiritualis sit pastor, & potestate spirituali, adeoque Ecclesiastica propriè dicta, præditus. Iuxta istam igitur explicationem amplectenda erit absurda Arminianorum sententia supra aliquoties explosa. Quid ergo poterit esse illa potestas Ecclesiastica impropriè dicta, nisi potestas Magistratus politica in populo, qua judicat & statuit quam religionem in populo suo admittere, quam Ecclesiam ut veram agnoscere, & potestate sua stabilire debeat? Secundò. Cur dicit D. Paræus, *debent regi verbo, non regere verbum:* & non, debent regi à pastoribus Ecclesiasticis, non regere illos? Verbum enim non regit nisi ut lectum in S. Scriptura, vel & præcipuè ut ex ea propositum, explicatum, & inculcatum præ-
dica-

dicatione Pastorum. Deus enim hic uti vult ministerio humano, ut notum est: quare & Christus, juxta & post Apostolos, Prophetas, atque Euangelistas, in Ecclesia sua constituit Pastores & Doctores Eph. 4. v. 11. quibus injunctum est pascere gregem Dei. 1. Pet. 5. v. 2. Non vult (credo) Paræus sublatum ministerium verbi ex Ecclesia. Fortè veritus est ne nimium concederet Stapletono. Sed quid nocuisset veritati, aut quodnam præjudicium dedisset Principibus, si dixisset Paræus, Principes debere verbo Dei regi à Pastoribus, non regere Pastores, sc: rectura pastorali Ecclesiastica: modo Principibus Pastores nihil præscribere possint aut debeant sua authoritate, Principes nullam teneantur admittere, stabilire, & tueri religionem, nisi quam ipsi norint verbo Dei esse consentaneam? An non debent esse Pastores in Ecclesia? Sine dubio. Cujus authoritate illic debent esse, nisi authoritate Christi ut Principis pastorum? An alii subsunt Pastoribus Ecclesiasticis nisi qui ad Ecclesiam pertinent, & religionem quam Pastores docent profitentur? An non subsunt illis etiam Magistratus, hoc est, qui Magistratu funguntur, qua membra Ecclesiæ, qua religionem profitentes? Ergo qua oves Christi spirituales, Pastoribus & ministris Christi spiritualibus. An non reliqui, simul cum illis, subsunt Magistratibus qua præfectis populi?

puli? An alia ratione fideles, ſimul cum infidelibus, quam qua cives? Debent utrique, & fideles, & infideles, eadem ratione ſubjici Magiſtratui, qua capiti & paſtori politico. Sicut ergo qui Magiſtratus ſunt in republica quatenus fideles & oves Chriſti, ſpirituali ſubjectione ſubſunt paſtoribus ſpiritualibus ut Chriſti miniſtris: ita qui paſtores ſunt in Eccleſia, quatenus cives, civili ſubjectione (ut Martyrem ſupra diſtinguentem audivimus) ſubſunt Magiſtratibus ut Dei miniſtris. A quo non multum abludit quod Pareus idem ante reſponderat ad ejuſdem cap. dub. 1. ad 6. hiſce verbis: *Magiſtratus non eſt ovis in omnibus, ſed tantum in ſpiritualibus, circa doctrinam & fidem, in quibus miniſtri ſunt paſtores. In civilibus verò Magiſtratus eſt paſtor: clerici ſunt oves, quia cives. Vt igitur abſurdum quidem eſſet in ſpiritualibus, circa doctrinam & fidem, Magiſtratus velle doctoribus praſcribere doctrinam: ita abſurdum erit in civilibus cives praſcribere Magiſtratibus: quia tunc oves judicarent paſtores.*

Quod dicitur de νομοθεσίᾳ architectonica, quam Principibus, quà Principes Chriſtiani ſunt, attribuit, ſupra ſatis eſt examinatum. Unde patet quid de eo judicandum ſit, quod dicit, *ea ratione Principes Chriſtianos debere regere Eccleſiam & Eccleſiaſticos, non regi ab illis.* Quid enim? An

non

non Principes Christiani, quà tales, regi debent verbo Dei per ministerium Ecclesiasticum? Ubi verò præcepit Christus Principibus ut regant Ecclesiam? Mandatum est illis ut veram religionem amplectantur, Deo serviant in timore, Filium Dei exosculentur: at ut Ecclesiam regant nusquam mandatum invenimus. Ecclesia enim non regitur gladio carnali, nec potestate externa coactiva, sed verbi ministerio, & disciplina ecclesiastica, ut clavibus regni cælorum. Nec locis ex isto cap. 13. ad Romanos allegatis, datur Principibus potestas regendi ecclesiam, sed jubentur omnes subditi, etiam fideles, civili obædientia parere Magistratibus suis, ne prætextu, & prava libertatis suæ in Christo intelligentia, imperio civili se subducant. Nec est quod dicat se loqui de Principibus Christianis, qua Christianis. Nusquam enim in verbo Dei docetur, Potestatem Principum, cum religionem Christianam amplecterentur, fore ampliandam. Et certè hoc si sit, male allegantur ista Pauli verba ex illa ad Romanos epistola. Nam supremi Magistratus illius temporis nil minus erant quam Christiani. Si illorum fuisset Ecclesiam & Ecclesiasticos regere, & si hoc ista verba Apostoli indicassent, jam diu periisset Ecclesia, nec licuisset Apostolis, & aliis viris Ecclesiasticis, Ecclesiam ipsis invitis, vel ædificare vel regere.

His omnibus ritè expensis, haud difficile erit colligere quid ad primum illud Stapletoni argumentum respondendum sit, vid. Totum concedi posse: sed inde non sequi quod illatum volunt Pontificij, quod sc: Principes Pastoribus vel Episcopis subesse debeant cæca obædientia: quod non liceat illis cognoscere & judicare de religione in ditionibus suis admittenda, & ipsorum authoritate sancienda: quod non liceat ipsis potestate sua coactiva, cum Pastores vel Episcopi falsam religionem tradunt, eam ejicere, & aliam ejus loco in ditiones suas introducere, ibique stabilire ac defendere: & alia istius generis.

Argumentum secundum Stapletoni, *Quod toto genere à laica potestate distinctum est, quodque Patres Imperatoribus nunquam concedere voluerunt, id non est eis concedendum. Iurisdictio Ecclesiæ externa, ut Episcopos & Clericos deponere, causas clericorum cognoscere, Ecclesias disponere, à laicâ potestate toto genere distincta est, & Patres Imperatoribus eam sibi arrogantibus nunquam concedere voluerunt: Ergo, &c.* D. Paræus rectè observat duo media hic conjungi: quare utrumque distinctè considerandum. *Quoad prius* (ait) *de discrimine potestatis civilis simpliciter dicta, & Ecclesiastica interna datur minor, & totum argumentum: de potestate verò civili architectonicâ, & Ecclesiasticâ externâ, minor est falsa.*

falsa. Non enim differunt toto genere, sed subalternantur. Ergo secundum Paræum, potestas quidem civilis simpliciter dicta, & potestas ecclesiastica interna, differunt toto genere: sed non Potestas civilis architectonica & ecclesiastica externa ut quæ sibi invicem subordinantur: potestas sc: civilis architectonica superiori est posita loco, & ecclesiastica externa illi subordinata, ut sc: ab illa regatur. Sed hoc verum esse non potest, nisi ipsa architectonica potestas non tantum civilis sit, sed etiam ecclesiastica. Quis autem eam ecclesiasticam fecit? Si datur Ecclesiastica potestas architectonica in terris, jam datur visibile caput Ecclesiæ, ut aliquoties ostensum. Ad potestatem Ecclesiasticam externam hic refertur, *Episcopos & Clericos deponere, causas clericorum cognoscere, Ecclesias disponere.* Hæc ergo omnia, & similia, secundum istam dispositionem, pendent à potestate civili architectonica, ejusque arbitrio. At quid si potestas architectonica judicet Episcopos esse deponendos, quos collegium Episcoporum legitimum sua potestate Ecclesiastica ministeriali, verè & meritò judicet non esse deponendos; & è contrario non deponendos, quos hæc potestas Ecclesiastica, ob falsam doctrinam, aut profanam vitam, justè judicet deponendos, & sic deinceps: An in illis omnibus Ecclesiastica potestas civili architectonicæ obædire tene-

:bitur? Si affirmat, actum est plurimis
ocis de Ecclesia: Si negat, fatetur ipse
estatem Ecclesiasticam propriè dictam
li architectonicæ subordinatam non es-
Sed observetur quod ista, sc. Episcopos
onere, causas clericorum cognoscere,
lesias disponere, & similia, vel Ecclesi-
:è fiant, vel Politicè: Ecclesiasticè,
ndo Episcopi, vel ob doctrinam impu-
, vel ob flagitiosam vitam, judicantur
gni qui sacra administrent, ideòque ab
um administratione in Ecclesiis arcen-
ita ut Ecclesiæ illos pro fidis & legiti-
pastoribus agnoscere nolint: Politi-
quando Magistratus eos pro talibus
et quos in publico admittere nolit,
oque à publico removet vel ejicit. Su-
mus noster Magistratus in hoc con-
erato & reformato Belgio, piè & pru-
iter discrimen hoc potestatis civilis &
:lesiasticæ observavit. Nam cum de Pa-
:ibus Remonstrantibus ferendum esset
icium, Ecclesiasticum commisit Sy-
do nationali Dordrechtanæ, utpote
od, post examen doctrinæ quinque fa-
sis articulis comprehensæ, judicavit Pa-
:es illos Ecclesiasticè, propter doctri-
n verbo Dei minimè consentaneam, de-
iendos, id est, ministerio verbi & sa-
mentorum indignos habendos esse: si-
verò reservavit Politicum, quo, cum per
egatos suos observasset legitimum, quo

Syno-

Synodus usa fuerat agendi modum, maximè verò cognosceret sententiam ab orthodoxis receptam, Remonstrantium sententiæ contrariam, verbo Dei & doctrinæ omnium Ecclesiarum Reformatarum esse conformem, è publico illos removendos censuit. Quare secundum istud Stapletoni argumentum, prout è priori medio procedit, simpliciter concedi potest; & simul responderi, quod ex ejus concessa conclusione, legitimè sc: ex ejus propositionibus illatâ, non sequatur quod ipse pro hierarchiâ & tyrannide Pontificia inde conatur inferre. Nam concesso, uti concedi debet, discrimine essentiali, fluente ex rei natura, inter Potestatem civilem & Ecclesiasticam, prout nos illud è verbo Dei & sana ratione tradimus, non est necessum talem concedere Hierarchiam qualem confingit Papatus, aut Magistratum excludere ab omni judicio de Religione & Ecclesiâ. Aggrediantur hanc rem Pontificii, si id ipsis videbitur; & ex illa distinctione suam, tum Hierarchiam, tum potestatis politicæ, sub Ecclesiasticâ subordinationem, extundere laborent; næ egregias suæ temeritatis pænas dabunt.

Alterum medium, quo in argumento suo secundo Stapletonus utitur, consistit in exemplis Patrum, *qui Imperatoribus, potestatem ecclesiasticam sibi arrogantibus, nunquam concedere non voluerunt, ut Hosii,*

, *Leontii, Hilarii, Ambrosii.* Huic adjun-
:re possumus argumentum tertium, de-
mtum ab Imperatoribus Christianis, *qui*
testatem illam sibi non tribuerunt, & ab
cclesia, quæ principibus potestatem illam
ibuendam esse nunquam judicavit: & de
:roque simul breviter respondere. Quod
hac causa exemplis non adeò standum
:, quandoquidem exempla multum va-
ant. In actionibus humanis sæpenume-
intercurrunt affectus: prout quisque, vel
ıc, vel illuc inclinat, & vel, hoc, vel il-
d intendit, dirigit plerumque consilio &
:tiones suas. Aliquando Ecclesiastici ri-
de nimis, aliquando nimis lentè ege-
nt. Imperatores etiam, prout vel fave-
ınt Ecclesiæ, vel ab eâ erant alieniores,
ı quoque vel indulsere Ecclesiasticis non-
ılla, vel denegavere. Dissidia etiam ab
ereticis mota, Imperatorum & Ecclesia-
corum animos, vel in hanc, vel in illam
rtem sæpe impulerunt. Quare non o-
ırtet rem, & rei æquitatem, ad exempla;
d exempla ad rei naturam & æquitatem
igere. Si in exemplis illis accuratè serva-
fuit illa distinctio, & quisque mansit in-
ı limites vocationis & functionis suæ, o-
ırtet ut exempla illa laudemus: secus, ut
ıprobemus. Non est ergo ut subordina-
res, vel Pontificii qui Politicam potesta-
m ecclesiasticæ; vel alii qui Ecclesiasticam
ılitıcæ subjiciunt, multum exemplis fi-

O dant,

dant. Facile enim à recto tramite deflectitur, & ab affectibus ratio obfuscatur: unde accidit quod antiquus dixit versiculus, Iliacos intra muros peccatur & extra. Si quis tamen, vel in fraudem Politicæ, vel in præjudicium ecclesiasticæ potestatis exemplis quibusdam in posterum abuti volet, nos etiam cordatè & confidenter, pro ratione muneris nostri, sententiam nostram de illis pronunciabimus. Nunc rem ipsam è verbo Dei & sanâ ratione investigamus.

Argumentum quartum Stapletoni sic habet. *Quod destruit fidei unitatem, & cultus ac religionis conformitatem, non est concedendum. Positâ hac potestate, nec in una provincia vel regno diu erit fidei unitas, vel cultus & religionis conformitas. Ergo non est concedenda. Major patet. Minoris membrum prius etiam patet, quia singuli Principes quod ipsis melius videbitur statuent, quorum decretis si resistatur, perpetua erunt bella, &c. Posterius etiam patet, quia ad voluntatem novi Principis mutabilis semper erit religio*, &c. Sic Stapletonus, qui hoc intendit, ut, ad evitandum istud periculum, Principes cogantur cæcâ obædientia subesse potestati ecclesiasticæ. Sed facile è contrario hîc dici posset idem periculum imminere ab Ecclesiasticis, si ipsi constantes non sint in religionis & fidei unitate. Huic ut occurratur periculo, confugitur

igitur ad potestatem architectonicam Ecclesiasticam, quæ residet in visibili capite ecclesiæ, cujus judicio, decreto, pronunciato, stare cadereve fideles omnes oportat. Hic scopus est Pontificiorum in hac iâ concertatione pro potestate Ecclesiaicâ.

Ad argumentum istud Stapletoni respondet D. Paræus, *Vel falsa minor, vel fallacia l accidentis, neque enim religio pendet à rincipis decreto aut nutu simpliciter. Quoiam si circa bonum civile Princeps alligaus est juri & legibus, quanto magis circa num religionis alligatus erit verbo Dei? ıxta hoc igitur de religione disponere Prinps tenetur, & Princeps bonus ac pius hoc mper faciet, & ita semper manebit religios unitas. Quod si Princeps degenerabit, & ram religionem cum falsis cultibus comutabit, quod Reges Iudaici sæpe fecerunt, fiet ex accidenti, non culpa sed abusu poTatis.* Rectè (inquam) sed quid in tali su agendum populo & Ecclesiæ? Sine duo permanendum in religionis veritate & ıitate, nec obædiendum impiis istorum incipum mandatis, utpote quibus potete sua abutuntur, & in Deum graviter ccant. Unde patet, nec architectonica os hic pollere potestate, quippe ubi suriori potestati obnoxii sunt: nec Ecclem & Ecclesiasticam potestatem illis subdinatam esse. Nam cui quis subordina-

tus est, ejus imperio æquum est ut pareat: sicut cives quilibet in rebus civilibus, etiam sibi gravibus & molestis, Magistratibus suis modestè, & sine obmurmuratione, obtemperare tenentur, ideo quod illis ex Dei ordinatione subordinantur. nec tamen hinc sequitur quod Pontificii intendunt. Etiamsi enim Ecclesia, sive subditi quilibet veram religionem amplexi, mutationem Principis sequi, & impiis ejus mandatis obædire, non debeant; Ecclesiaque suos cœtus, exercitia sua Ecclesiastica, qua potest optima ratione, habere & colere debeat: non licet tamen ei, aut præcipere, aut petere, ut Princeps ipsi cæcam præstet obædientiam; multò minus in illum insurgere, de throno illum dejicere, aliosve in eum subornare & instigare. Nam potestatem ejusmodi Christus Ecclesiæ suæ non concessit: eam quidem sibi devotam cupit & obsequentem, ac fidam ad extremum usque, ita ut nullius præcepta suis præferri ab ea velit: omnesque qui mandatis suis auscultare recusant ab ea velit reprehendi: mansuetudinis tamen, humilitatis, modestiæ ac patientiæ exempla erga quosvis ab ea vult exhiberi. Cui cum è diametro repugnet tota praxis hierarchiæ Ecclesiasticæ, manifestum est eam nihil esse aliud præter arrogantiam diabolicam, & Antichristianam tyrannidem.

Rectè dixit D. Paræus, *Si Principes legislatoria*

atoria sua potestate in destructionem unitatis & puritatis fidei abutantur, id fieri per accidens: hocque probat primò, *Quod posita architectonica potestatis civilis potestate Ecclesiastica, periculum illud quod Stapletonus metuit etiam potest non poni: si nimirum & Princeps vera pietate & religione rectè à teneris imbutus sit, orthodoxis Doctoribus, piis consiliariis, ac fidis ministris aures præbeat, Deum ipse timeat, precibus Ecclesiæ & pietate subditorum apud Deum sublevetur.* Certè novimus omnem potestatis cujusque abusum per accidens cadere in potestatem, ac proinde in præjudicium potestatis ipsius trahi non debere: sed prius ostendendum esset competere Potestati civili architectonicæ potestatem Ecclesiasticam. Penes potestatem illam est judicare & statuere de religione quam in publico inter subditos suos velit exerceri. Si veram religionem removet, & falsam ei substituit; abutitur quidem potestate sua, non tamen ipsi neganda potestas. Quapropter argumentum istud Stapletoni qui Magistratum omni potestate de religione in publico statuendi privare nititur, meritò rejicimus, eò quod propter rei abusum rem ipsam velit tolli; & potestatem politicam ejus quod per accidens ipsi evenit nomine culpet, quasi per se, sua natura, ac proinde semper id in se complectatur, & à se producat. Dolendum quidem est veram

religionem è publico removeri, falsam introduci, stabiliri, coli: sed qnid facias? quis remedium afferet? Quis potestatem supremam architectonicam in ordinem coget? An Ecclesia? non est armata gladio, arma ejus carnalia non sunt, sed spiritualia: Preces & lachrymæ arma sunt Ecclesiæ. An populus? Non licet. Nam omnis anima potestati supereminenti subjecta sit, (inquit Apostolus) Quod produci hic posset de origine & causis belli nostri cum Rege Hispaniarum, nunc non exagito. Peculiares hic sunt rationes politicæ ortæ ex statu, conditione & privilegiis regionum belgicarum, quæ hujus loci & temporis non sunt. Ago hic de discrimine potestatis Civilis & Ecclesiasticæ: ostendo ex potestate Ecclesiastica non posse nec debere desumi causam, rationem, argumentum insurgendi in potestatem Politicam, cum ea se infensam Ecclesiæ & religioni præbet, eamque è medio removet. Supremæ enim potestatis est statuere de omnibus quæ in publico obtinebunt, etiam de Religione. Si ea hic errat aut peccat, non est Ecclesiæ, non est Episcoporum, eum cogere, aut potestatem coactivam in eum usurpare: attamen Ecclesiæ est in veritatis professione constanter permanere, & Ecclesiæ pastorum, cœtum Dei ipsis commissum verbo Dei fideliter pascere.

Probat secundò Paræus, *Quod potestate tali*

e tali non positâ (sc: in supremo Magistratu) *periculum tamen illud poni potest. Nam ex hypothesi adversarii* (intelligit Stapletonum) *in Veteri Testamento potestas Ecclesiastica non fuit penes reges, sed penes solos sacerdotes, & tamen temporibus Iudicum & Regum unitas fidei & puritas religionis minimè stabilis fuit: sed culpa maximè Sacerdotum & Pseudoprophetarum (quod conciones Prophetica liquido testantur) perpetuò vacillavit. Quid? Si creditur adversario, Christiani Imperatores nunquam sibi tribuerunt talem potestatem, nec Ecclesia iis tribuendam unquam judicavit: & tamen unitas fidei perfidia & ambitione Episcoporum aequè sub Imperatoribus Orthodoxis Constantino, Theodosio, Martiano, &c. atque sub Arrianis, Constantio, Valente, &c. miserrimè lacerata fuit atque pessundata.* Ratio hæc bona est admodum adversus absolutam potestatem Ecclesiasticam, & architectonicam Romani Pontificis authoritatem, Unde jam manifestum fit, nec Ecclesiasticam, nec Politicam potestatem architectonicam, de rebus Ecclesiasticis esse statuendam in hominibus: sed solius Iesu Christi potestatem ut Regis & Capitis spiritualis Ecclesiæ agnoscendam. Altera igitur ministerialiter prorsus agat in Ecclesiâ sub Christo; altera etiam imperatoriè & coactivè in Republicâ sub Deo: sic tamen ut Christo auscultet, ejusque regnum intromit-

tromittat, ei se subjiciat; ac proinde & utraque ut fidem suam Deo & Christo approbet.

Argumentum Stapletoni quintum. *Vt rex regi legitimè succedat, aut requiritur ejusdem fidei & religionis professio, aut non. Si requiritur, non erit legitimus successor, nisi qui eandem cum pradecessere religionem profiteatur, quod est falsum. Si non requiritur, certè aliquam in causis Ecclesiasticis jurisdictionem principes habere non possunt.* Responderem ego simpliciter, Absolutè non requiri, nisi fortè eadem religionis professio sit ab ordinibus regni constituta inter conditiones legitimæ successionis, ac proinde vim, vel politicæ legis, vel privilegii politici habeat in regno. Sed tunc nihil ad Ecclesiam: Ecclesiastica enim lex non erit sed politica. Antichristianum enim est, & nihil dicit nisi, vel meram utriusque potestatis confusionem, vel politicæ sub ecclesiastica subjectionem, Principem aut regem religionis causa exauthorare. Quare concederem totum argumentum, vid: Aliquam Ecclesiasticam jurisdictionem Principi non competere; verbi gratia, quempiam ob impiam vel doctrinam vel vitam, aut excommunicare, aut à S. Cænæ communione arcere, & similia.

Paræus respondet, *Legitima successio est qua fit juxta leges, seu qua legibus est consentanea. Leges vel divina sunt vel humana,*

na. Divina lege nulla successio est legitima seu Deo placens, nisi cum vera religione conjuncta. Sic dicitur, Rex legat in libro legis, ut faciat & custodiat eam. Deut. 17. 1. Samuel. 2. *Honorantes me honorabo.* 1. Sam. 15. *Quia rejecisti me, ego rejeci te, ne sis Rex Israelis.* Confundit inter se Paræus, legitimum esse, & Deo placere. Nil placet Deo nisi quod ex fide fit. Potest tamen aliquid esse legitimum: id est, fieri secundum leges, quod tamen non fit ex fide. Sed dicet, Id non fieri secundum legem divinam. Resp. Legem ut quid fiat ex fide esse generalem, omnia comprehendentem, sed hîc respici ad legem specialem, muneris alicujus legitimam constitutionẽ spectantem. Leges divinæ hic allegatæ mandant Regi ut se in omnibus Deo obædientem præstet, sed non declarant regis secus facientis successionem non esse legitimam. Exemplum Saulis 1. Sam. 15. huc non quadrat. Agitur enim hic de legitima inter homines ordinaria politica successione, non autem de extraordinaria à Deo facta dejectione ejus qui extraordinariè expresso Dei mandato introductus erat. Dicit, *nullum inde sequi incommodum aut rebellionem, quia fideles, ut sunt cives, non modo divinis legibus, sed etiam civilibus, Magistratui civiliter obligantur.* Rectè. Ergo cives omnes, etiam qui Ecclesiastico munere funguntur, duplicis criminis reos se faciunt,

ciunt, cum Magistratui, etiam nullis existentibus legibus politicis quæ religionem successioni legitimæ includant, civilem negant obædientiam, aut, religionis causa, illegitimè eum Magistratu fungi causantur.

Pergit ad civiles leges ex quibus de legitima successione judicari debet. *Iuxta civiles* (inquit) *leges & consuetudines successio legitima est vel hæreditaria vel arbitraria. Hæreditaria successio à religione non pendet, & ideo religio vel vera vel falsa ad eam nihil confert. Vt Manasse impius filius non minus legitimè succedit pio patri Hiskiæ, quam Iosias pius impio Ammoni.* Addit: *Hinc non sequi, quod ineptè infert adversarius, eos in jurisdictione νομοθετικῇ circa Ecclesiastica succedere non posse. eò quod in Ecclesiastica potestate non succeditur nisi in eadem religione succedatur.* In omni certè potestate quæ Magistratui supremo, qua tali, competit quilibet legitimus successor legitimè succedit, sive eandem veram cum prædecessore suo religionem profiteatur & tueatur, sive non; quamvis potestate sua non tam bene utatur qui à vera religione deflectit, ac pius ejus prædecessor. Quare si Magistratus supremus potestatem haberet Ecclesiasticam, quilibet ejus successores eam obtinerent, hoc tantum discrimine quod pii bene ea uterentur, impii male. Sed hoc adhuc quæritur an Magistratui, etiam

etiam supremo quà tali, Ecclesiastica potestas competat. Potestatem νομοθετικὴν civilem circa Ecclesiastica competere ei fatemur: sensu sc: supra explicato. potestatem verò Ecclesiasticam, ob rationes supra allegatas, tribuere ei non possumus. Negationem suam qua Stapletoni consequentiam negavit Paræus hac ratione probat, *Quod aliud sit jurisdictio νομοθετικὴ, de qua ipse: aliud jurisdictio Ecclesiastica, de qua adversarius loquitur.* Hinc sequitur jurisdictionem Ecclesiasticam jurisdictioni νομοθετικῇ potestatis civilis subordinari non posse, quia diversi sunt generis.

Sextum Stapletoni argumentum est, *Principes seculares non habent potestatem administrandi sacramenta, aut prædicandi verbum: Ergo non possunt judicare de vera doctrina verbi, dare potestatem prædicandi verbum, administrandi sacramenta, aut ullo modo regere aut dirigere Ecclesiam circa talia.* Respondet Paræus, *Majorem omissam esse falsam, quæ hæc deberet esse: Qui non habent potestatem administrandi sacramenta, aut prædicandi verbum, non possunt dare potestatem prædicandi verbum, & administrandi sacramenta, nec ullo modo regere aut dirigere Ecclesiam.* Falsitatis rationem dat Paræus; *quia potest νομοθετικὴ, seu potestas Ecclesiastica externa, stare in principe sine potestate ecclesiastica interna.* Sed quæ illa potestas Ecclesiastica externa? *Etsi*

enim (ait) *Princeps non possit munia externa obire, potest tamen aliis ea obeundi potestatem facere jure νομοθετικῆς, quod circa utrumque bonum subditorum versatur.* Nos dicimus quia Magistratus supremus verbum prædicare, & sacramenta administrare non potest, non posse etiam cuipiam potestatem dare aut facere ea administrandi. Si enim hoc posset, & illud posset. Nam quod quis cuipiam dat id ipse habeat oportet. Potest quidem ei qui potestatem habet verbum prædicandi, & sacramenta administrandi, concedere ut in publico eam exerceat, potestatem autem ipsam concedere non potest. Hoc solius est Ecclesiæ, nomine Christi, qui illam potestatem dedit Apostolis, eorumque successoribus, & eo fine in Ecclesia, ut in regno & corpore suo mystico, eam reliquit. Attamen Stapletonus hîc graviter peccat, qui verbum prædicare & Sacramenta administrare, conjungit cum judicare de vera doctrina verbi. Nam hoc posterius etiam competit quibus duo illa priora concessa non sunt. Nam & privati judicant de doctrina quam debeant amplecti, & Magistratus de doctrina in publico docenda.

Argumentum Stapletoni septimum. *Qui de verbo Dei & sensu ejus certò & infallibiliter judicare non possunt, eis nulla competit Ecclesiastica potestas: Reges ac Magistratus de verbo Dei, & sensu ejus certò & infalli-*

infallibiliter judicare non possunt: Ergo non possunt, juxta verbum Dei, cujus sensum & judicium non habent, aliquid de religione statuere. Nos negamus disertè majorem. Hæc enim certa & firma si esset, nemini liceret quidpiam de religione statuere, ne quidem Ecclesiasticis, quia & illi ipsi fallere & falli atque errare possunt. Quantum ad ipsos attinet & Ecclesiasticos, & Magistratus, & privatos, possunt omnes errare & labi: sed quando verbi divini ductum sequuntur, in quantum id faciunt, eorum nemo errare potest: manent munia, vocationes, & potestates, manetque omnium illorum distinctio, etiam cum communi erroris periculo. Munia, vocatio, potestas periculum illud non tollunt: sed verbum Dei, ejusque pia consideratio, & Spiritus S. gratia, remedium ei adferunt. Sed sic argumentantur Pontificij, ut Magistratum omni, etiam civili, circa Ecclesiastica & religionem judicio privent, eumque cæco impetu in omnibus Ecclesiasticæ suæ potestati obædire cogant. Paræus respondet, *Majorem esse falsam, & fallaciam non causa: quia causa potestatis Ecclesiastica vel civilis conferens vel adimens, non est facultas judicandi vel non judicandi: sed officium seu vocatio, tametsi facultas judicandi ad potestatis perfectionem requiratur. Alioqui sequeretur omnes qui possunt judicare de religione aut de civilibus, etiam habere pote-*

statem

statem ecclesiasticam vel civilem, quod de privatis est falsum: contra qui non possunt judicare, aut certò & infallibiliter judicare, de rebus, non habere potestatem; quo posito, nec pueri, nec minores, qui certò judicare nondum valent, in regia potestate succedere non possent, quod est contra jura & observantiam. Majorem ergo suam debuisset Stapletonus probare: verum, omissa majori, probat minorem: Itaque nil nisi nugatur. Quamvis & tres illæ quas pro sua minore producit rationes falsitate sua laborent.

Argumentum octavum est. *Quod fidem & religionem Christianam funditus evertit non est concedendum. At posita hac Principum potestate, fides & religio funditus evertitur, Ergo non est concedenda.* Assumtionem probat, *Quia posita ea potestate, recipienda esset aliqua doctrina fidei, aut cultura religionis, tantum vi decreti regij, aut ex imperio Magistratus. Hoc autem esset habere fidem tantum humanam & acquisitam, cum fides vera sit divina & infusa.* Paræus respondet, *Assumtionem falsam falsa ratione probari. Neque enim* (inquit) *doctrina cælestis ex verbo Dei, piorum Principum cura & authoritate Ecclesiæ restituta, docetur, recipitur, creditur propter edictum Principum, sed propter verbum Dei, seu propter authoritatem divinam quam in se habet cælestis doctrina. Quando Princeps*

pius

pius formam doctrinæ cælestis, è scripturis sacris haustam, firmatam, & constitutam promulgat, non doctrina, sed promulgatio authoritatem habet à Principe: Neque enim doctrina Principis facit ut doctrina promulgata sit vera, aut divina, & credenda: sed facit ut doctrina vera, & divina promulgata, in Ecclesiis regni sui obtineat, falsa exulet. Obtineat (inquam) in publico, cum alias etiam obtinere possit in Ecclesiâ extra publicum, sive clanculum & in abdito, Principe eam in publico non admittente. *Nec* (inquit) *quia à principe promulgatur ideo à subditis recipitur: sed quando in Ecclesia à Pastoribus docetur, auditur, cognoscitur, ex scripturis divinis probatur, tum creditur. Tum enim fides ex auditu, auditus per verbum Dei.* Ergo dicimus, alia datur superior potestas, cujus nomine, & non nomine Principis, Pastores verbum Dei in Ecclesia prædicant, docent, & ex Scripturis probant. Et hoc est quod hîc inculcamus. Ad argumentum igitur Stapletoni. Si daretur architectonica Potestas Magistratus circa Ecclesiastica, qualem potestatem architectonicam Ecclesiasticam sibi fingunt Pontificii in Ecclesiâ, rite procederet ipsius argumentum, ac proinde non valet contra nos, sed contra eos qui architectonicam potestatem circa Ecclesiastica Magistratui supremo tribuunt. Atque hinc est quod; cum Pontificii potestatem

ſtatem architectonicam ſuo Pontifici tribuant in Eccleſiâ, doctrina fidei & cultura religionis recipienda ſit tantum vi decreti Pontificii, aut ex Pontificis authoritate. Quod proinde eſt habere fidem humanam, non divinam. Hinc judicet quilibet quid ſit, homini mortali in terris degenti poteſtatem adſcribere architectonicam in rebus Eccleſiaſticis.

Nonum eſt. *Quo poſito non datur amplius contra ſanam fidem hæreſis, nullum contra unitatem ſchiſma, id non eſt admitendum. At poſita hac poteſtate non dabitur amplius hæreſis aut ſchiſma: quia non amplecti religionem à principe aut rege traditam, non erit diſſentire à vera religione &c. Ergo.* Breviter reſpondetur, Hoc argumentum eodem niti fundamento cum præcedenti: ac proinde ex eodem fundamento ad illud reſponderi poſſe, & reſpondendum eſſe, quo ad ſuperius reſponſum eſt.

Decimum, *Qui non reddituri ſunt rationem Deo pro animabus ſubditorum, iis non competit Eccleſiaſtica juriſdictio: Reges aut Principes non reddent Deo rationem pro animabus ſubditorum: Ergo non ſunt Præpoſiti Eccleſiarum.* Ad hoc breviter reſpondetur. Qui non ſunt reddituri rationem eo modo quo Eccleſiarum Præpoſiti & Paſtores, iis non competit Eccleſiaſtica Juriſdictio. Sic limitata majore conceditur totum. Attamen ſi Magiſtratus ſupremus non curet &

jubeat

jubeat authoritate sua sanam doctrinam publicè doceri, veram religionem exerceri, næ ille gravem Deo rationem reddere debebit pro animabus subditorum, suâ culpâ, ex neglectu officii sui, pereuntium.

Cap. XVII.

In quo ventilantur quæstiones D. Vedelii undecima & duodecima, & deinde etiam tertia.

Ex iis quæ hactenus considerata, explicata, & disputata sunt, facile erit judicioso cuivis observare quid statuendum sit de responsione D. Vedelii ad quæstiones suas undecimam & duodecimam: quarum priori quærit, *An Magistratus in rebus Ecclesiasticis subjectus sit ministris Ecclesiæ?* posteriori verò, *An ministri Ecclesiæ aliquo modo pendeant à Magistratu in rebus Ecclesiasticis, & eatenus illi subjecti sint?* Nam ex distinctionibus, expositionibus, & responsionibus hactenus datis, obscurum esse non potest, quo pacto, vel Magistratus ministris Ecclesiæ, vel ministri Ecclesiæ Magistratibus subjecti sint: unde & facile est judicatu num D. Vedelius ad quæstiones illas aptè responderit. Attamen majoris lucis gratia, responsiones ipsius ad quæstiones

nes istas breviter considerabimus: & quidem hoc loco, quia illarum consideratio ab iis quæ hactenus prolixè sunt explicata immediatè pendet.

Ad quæstionem priorem respondet: *Magistratus summus in rebus Ecclesiasticis, ministris subditus sensu Pontificio nequaquam est, & non nisi falsò ab illis dicitur: ab Orthodoxis autem quibusdam tantum catachresticè, seu abusivè, Magistratus ministris Ecclesiæ subditus esse dicitur.* Propositio ista bimembris est. Prius membrum ultrò concedimus, imo ipsi supra asseruimus & defendimus. Respectu autē posterioris membri, ad quæstionem istam undecimam interrogavi: An non Magistratus, etiam summus, non catachresticè, sed propriè, subsit verbo Dei? An non Pastores & ministri Ecclesiæ totum Dei verbum debeant prædicare omnibus cujuscunque status hominibus, idque omnium conscientiis sine exceptione applicare, non catachresticè, sed propriè? Et si hoc ita sit, an nō illa thesis ad hoc negandum commodè adhiberi possit negandum sc: quod Pastores & ministri ecclesiæ debeant non catachresticè, sed propriè, prædicare verbum Dei omnibus cujuscunq; status hominibus, idque omnium conscientiis sine exceptione applicare. D. Vedelius respondet, *Responsionem ex Exegesi manifestam esse. Nam* (inquit) *ex eo quod Magistratus catachristicè tantum, seu impro-*

impropriè loquendo, & per accidens, subditus est Pastoribus, id nequaquam sequitur. Ast ego aliud videre non possum quam satis evidenter illud sequi. Si enim Magistratus ministris Ecclesiæ non nisi impropriè, catachresticè, & per accidens subjicitur, non poterunt ministri Ecclesiæ nisi impropriè, catachresticè, & per accidens, illi annunciare verbum Dei & conscientiæ ipsius illud applicare. Nam si hoc potest & debet propriè & per se, certè propriè & per se magistratus illi subjectus est, nimirum quà Pastori, ministro Ecclesiæ & annunciatori verbi Dei. Sed videamus rationem ob quam consequentiam istam negat D. Vedelius. *Ratio* (inquit) *cur non sequatur in eo consistit, quod verbum Dei, seu Christus, habet imperium proprium in Magistratum, & omnes homines, eorumque dominus est: & sic illi propriè loquendo subditus est omnis homo, etiam summus Magistratus. At alia ratio est ministrorum, ut qui imperium proprium non habent, sed tantum ministerium verum, & propriè sic dictum, quo imperium alienum, nim: Christi, verbumque ejus annunciant.* Ast hæc ratio nihil ad rem. Nam primò non damus Ministris Ecclesiæ potestatem coactivam aut imperialem, assignamusve Magistratui subjectionem sub tali potestate: sed dicimus Magistratum potestati ministrorum Christi ministeriali subjectum esse, & quidem subjectione non catachre-

tachrestica, impropria, per accidens; sed propria, & per se, respondente vid: illi potestati ministrorum Christi quà talium, secundum Apostoli monitum Heb. 13. v. 17. *Obedite præpositis vestris*. Nam & verbo Dei propriè & per se subjecti sunt omnes Magistratus; & potestate sua ministeriali possunt & debent Ministri Ecclesiæ omnibus sine exceptione prædicare verbum Dei. Secundò observandum: Quamvis Magistratus supremus potestatem habeat cum imperio conjunctam, ministrum tamen Dei esse, ut gubernatoris universalis totius generis humani, sicut Pastor aut Inspector Ecclesiæ minister est Christi ut Redemtoris & Regis spiritualis Ecclesiæ. Quare hic subjectio est, qua Minister sui domini ministro ad se ablegato subjectus est. Non est quidem subjectio, aut absoluta, aut primaria, qua minister Domino suo subest, est tamen subjectio exhibenda ministro ut illa legatione fungenti; & quia hic legatione illa, non catachresticè, sed propriè fungitur, ex proprio & directo mandato domini sui, ideo ille huic, ut tali, sive ut legationem istam obeunti, propriè & per se subesse debet. Quapropter nihil juvat D. Vedelium id quod allegat exemplum, *Ut non valet consequentia: Titius non est subjectus præconi per se & propriè. Ergo nec Regi cujus jussum præco annunciat: ita non sequitur. Magistratus non est propriè, & per se loquen-*

loquendo, subditus praeconibus Christi & verbi ejus: Ergo nec Christo & verbo ejus propriè & per se subjectus est. Nam quamvis Titius non est absolutè & primariò subjectus praeconi, sed soli Regi cujus jussum praeco annunciat: est tamen praeconi, quà jussum Regis annuncianti, propriè & per se subjectus, ita ut illi propriè & per se quà tali auscultare debeat. Quapropter è contrario sic argumentor. Sicut Titius, licet non absolutè quidem in omnibus, nec primariò, Regis praeconi subjectus est; subjectus tamen ei esse debet quà Regis praeconi, cum mandatis illius ad se ablegato: ita & Magistratus, quamvis non absolutè per omnia, nec primariò, Ministris Christi & Praeconibus verbi ejus subjectus est, subjectus tamen illis esse debet quà Ministris Christi, ad annunciandam ejus voluntatem ad se missis: juxta illud quod Christus Ministris suis dixit, *Qui vos audit, me audit: qui vos spernit, me spernit.* Eodem modo & ab altera parte se res habet. Quamvis subditus non subsit Magistratus per omnia & in omnibus absolute in rebus religionem concernentibus: tamen Magistratui, veram Religionem mandanti quoad publicum ejus exercitium, obtemperare tenetur ut ministro Dei, cultum illius sincerum authoritate sua promoventi.

Ad posteriorem quaestionem, quae D. Vedelio fuit Duodecima, *An Ministri Ec-*

clesia

clesiæ aliquo modo pendeant à Magistratu in rebus Ecclesiasticis, & eatenus illi subjecti sint? respondit, *Ministri Ecclesiæ aliquo modo pendent à Magistratu in rebus Ecclesiasticis, & eatenus ei subjecti in illis sunt.* Sed quid hoc est? *Aliquo modo*. Quo modo? non dicitur. Individuum ergo est vagum, & res seu rei modus sine nomine: aut potius modus sine modo aut mensura. Quapropter ad illam quæstionem annotavi, An non necesse sit explicari quo modo ministri Ecclesiæ in rebus Ecclesiasticis pendeant à Magistratu eique subjecti sint? Nam hoc ita generaliter & indefinitè positum facile in malam partem sumi posset. An non debebit ostendi Ministros non pendere à Magistratu ut servi pendent à dominis, aut ut Ministri delegati à suis principibus? Ut planum maneat, Pastores & ministros Ecclesiæ, non Magistratus, sed Dei & Christi Ministros esse, quod D. Walæus tota secunda parte libri sui evidenter & solidè demonstravit. Ad istam annotationem meam D. Vedelius dicit, *Satis id explicatum esse, tum verbis aliorum Orthodoxorum Theologorum, quæ citavi; nimirum Pastores non simpliciter pendere à suprema potestate, seu quantum ad genus doctrinæ & sacramentorum, sed secundum quid, ratione vocationis, directionis, & censuræ, ut Paræus loquitur: seu (ut clarius D. VValæus ait) non in partibus essentialibus & substantia ministerii*

sterii ipsorum, sed in circumstantiis administrationis: tum verbis (inquit) *meis propriis, quando dixi, eos subjectos esse Magistratui, non quo ad substantiam officii, sed quoad exercitii directionem, ordinem externum, & circumstantias.* Audimus explicationem D. Vedelii bimembrem, priori membro negativam, posteriori affirmativam. Priori membro negat *Pastores pendere à suprema potestate quantum ad genus doctrinæ & sacramentorum & quoad substantiam officii*: & tamen Quæst. 3. docet, *Potestatem Magistratus sese extendere ad omnes partes officii ministrorum.* Certè ad eas potissimum pertinet doctrina cum sacramentis. Quæst. autem 5. ad Magistratum dicit *pertinere judicium de Religione, & de controversiis fidei, & causis Ecclesiasticis.* Concilier ista D. Vedelius, doceatque nos quomodo consistere ista & simul vera esse possunt. Posteriori membro affirmat, *Pastores à suprema potestate pendere ratione vocationis, directionis, & censuræ. sive quoad exercitii directionem, ordinem externum, & circumstantias.* Hæc rursus sunt ambigua. Vel enim sic possunt intelligi, ut Pastores à suprema potestate vocandi sint, & in obeundo munero suo ab ea dirigantur, & censuræ subjiciantur, quò referri posset ea de qua loquitur exercitii directio: vel ut Pastores, seu in vocatione aliorum Pastorum instituenda; seu in vocatione sua exequenda,

da, & in membris Ecclesiæ regendis & dirigendis, & in censura exercenda, debeant respicere ad supremam potestatem, & ab ea expectare modum, ordinem, ac ritum eorum omnium. Cum D. Vedelio placuerit nobis super hac re mentem suam explicare, commodior dabitur occasio eam examinandi. Interim meritò hic, ut & alibi fecimus, conquerimur de nimis laxa & ambigua, qua plerumque utitur, loquendi ratione. Quamvis non putemus, quocunque demum modo se hic explicet, piis omnibus, cordatis, & prudentibus ab ipso satisfactum iri.

Dicit *se in ipso proœmio rejecisse doctrinam Arminianorum, quam Cl. VValeus solide refutavit in secunda parte tractatus sui, nimirum Ministros pendere à Magistratu, ut delegati pendent à suis Principalibus, quorum servi seu vicarii sunt*. Novimus quid fecerit: verum quid juvat doctrinam Arminianorum verbis rejicere, & interea talem proponere & urgere sententiam quæ ab Arminianorum sententia haud multum discrepet? ut cum Magistratui supremo tribuitur architectonica potestas in rebus Ecclesiasticis, cum Potestas Magistratus extenditur ad omnes partes officii ministrorum, & alia dictantur id genus: prout supra ostendimus sententiam D. Paræi, quam ambabus manibus amplexus est D. Vedelius, & à quâ ipse, & alii cum ipso, hac

in

in parte seducti sunt, vix posse (quod salvo honore tanti viri dictum velim) à sententia Utenbogardi & aliorum Remonstrantum discerni: quamvis omnino credam non eo animo à D. Paræo ea quæ audivimus prolata esse, quo à Remonstrantibus, prolata sunt. *Summa* (ait) *satis indicavi hoc non esse intelligendum de potestate ipsa ordinis & jurisdictionis, quasi eam, & quidem omnem, non à Christo immediatè accepissent: sed esse intelligendum de circumstantiis ministerii in exercitio potestatis illius.* Mira hic audimus. Si quoad potestatem Ordinis & Iurisdictionis ministri ecclesiæ non pendent à suprema potestate Politica, quo modo potest supremo Magistratui architectonica potestas tribui in rebus ecclesiasticis? An non qui aliqua in re versantur dependent ab illis qui in ista architectonica pollent Potestate? Sed forte intelliget potestatem Ordinis & Iurisdictionis, non sensu Reformato, sed Pontificio: quod tamen suspicari nolim. Si sumit sensu Reformatorum, se ipsum verberat. Supra enim cap. 3. diximus, Potestatem jurisdictionis esse potestatem disciplinæ, qua qui in familiam, sive in regnum Christi spirituale, recepti sunt ad pietatem diriguntur, & in officio continentur, ne quid Christiana professione indignum committant. Potestatem verò ordinis esse, qua omnia ordinatè constituuntur in ecclesia,

ne qua circa ministerium, aut cultum divinum, in ea confusio oriatur. Si utraque illa potestas immediatè à Christo data est ministris, aut Pastoribus eccesiæ, evanuit Architectonica, de qua tanta & tam multa disserit, supremi Magistratus in rebus ecclesiasticis potestas, concidunt pleraque quæ in illo tractatu suo ad varias quæstiones respondit D. Vedelius. Nam quibus potestas ista à Christo immediatè est tradita, illis competit potestatem istam absque aliorum directione exercere, præsertim architectonica: nisi doceatur ex verbo Dei, Christum aliis immediate dedisse potestatem architectonicam, illos quos immediatos suos fecit ministros, in exercitio ministerii sua potestate gubernativa & coactiva dirigendi. Atque hoc ipsum est quod ad huc requirimus à D. Vedelio in verbo Dei nobis monstrari. Eadem Pagina, sive in eadem ad annotationem meam responsione dicit D. Vedelius, *Pastores pendere à suprema potestate, ratione vocationis, directionis, & censura:* &. *rursum, Pastores sive ministros Ecclesiarum potestatem ipsam ordinis & jurisdictionis, & quidem omnem, à Christo immediatè accepisse.* Ego certe tam alacri ingenio non sum ut ista inter se conciliare possim. Nam si Pastores & ministri ecclesiarum potestatem istam, cujus D. Vedelius hic meminit, immediatè à Christo acceperunt, videre non possum

possum quomodo ratione vocationis, directionis, & censuræ, à suprema potestate politica pendeant.

Dicet fortè, ministros ecclesiarum accepisse quidem immediatè à Christo istam potestatem, sed Magistratum supremum datum ipsis à Deo inspectorem & gubernatorem qui curet ut potestate ista bene utantur. Sed 1. Probandum hoc esset. D. Vedelio, non dictandum. Dictatura enim soli Deo & Filio ejus Iesu Christo hic competit. Nunquam autem ad hoc usque tempus, tale quid nobis monstratum fuit in verbo Dei. 2. Quando quis, famulis fuis assignans potestatem aliquam, eis præficit ephoros aut gubernatores, solet id ipsis indicare, mandareque ut illorum gubernationi se submittant, eisque rationem functionis suæ reddant: An tale quid uspiam apparet? An Christus quidem quidpiam istius generis vel per umbram quidem aliquam significavit? 3. Etiamsi tale quid agnosci deberet (quod tamen nusquam hactenus invenire datum fuit) liceret nobis, prementibus vestigia D. Vedelii, dicere Ministros & Pastores Ecclesiæ, non propriè & per se, sed impropriè, catachresticè, & per accidens, Magistratui supremo subjectos esse: sicut ille ad Quæst. undecimo dixit, *Magistratum subjectum esse Ministris in rebus Ecclesiasticis, non propriè, sed impropriè; non per se, sed per accidens, adeoque*

catachresticè. Id probabimus iisdem rationibus quibus ille probavit Magistratum Ministris propriè & per se subjectum non esse. Sicut enim ille ad quæst.11. pag.106. dixit, *Obædientiam quæ debetur Ministerio non terminari ad ipsos ministros, sed ad Christum cujus præcones illi sunt*: sic nos dicemus, Obædientiam quæ in rebus Ecclesiasticis debetur Magistratui, non terminari in ipsum Magistratum, sed in Deum cujus ille minister est. Deinde sicut ille dixit *nullum, etiam minimum fidelem, per se & propriè loquendo, subditum esse ministris in rebus Ecclesiasticis, ergo multò minus Magistratum:* sic etiam dicam, nullum fidelem, etiam minimum, per se & propriè loquendo, subditum esse Magistratui in rebus Ecclesiasticis, ac proinde & multò minus Ministros Ecclesiarum. D. Vedelius antecedens suum probavit ex eo *quod propriè subditum, seu subjectum esse, correlatum sit illius qui Dominus est sive imperium habet. Ministri autem nullum imperium habent teste Christo.* Matth.20. vers.25.26. &c. *sed tota eorum officii ratio ministerialis est ut Scriptura testatur.* Sic & ego antecedens istud meum probabo ex eo, Quod propriè subditum seu subjectum esse correlatum est Domini sive imperium habentis: sed Magistratus in rebus Ecclesiasticis, seu religionis, dominus non est, nec imperium habet. Religionis enim & Ecclesiæ nemo

Domi-

Dominus est præter Deum & filium ejus Iesum Christum: ita ut quicunque Ecclesiæ aut religionis dominum se venditat eo ipso verus sit Antichristus.

Vidimus independentiam Magistratuum à Ministris Ecclesiarum in rebus Ecclesiasticis, Ministrorum verò à Magistratibus dependentiam Vedelianam, eamque consideravimus ut D. Vedelius eam nobis considerandam exhibuit simpliciter & absolutè, sive non applicatè ad singulas Ministerii Ministrorum partes. Sequitur ut hanc Ministrorum dependentiam in partibus singulis Ministerii ipsorum consideremus. Et primò quidem in genere respectu omnium ministerii partium simul, & tum in specie respectu eorum sigillatim. Quod prius nobis præstat D. Vedelius ad quæst.3. ubi Thesis ipsius, sententiæ sc: Bellarmini opposita, disertè sic habet, *Potestas Magistratus sese extendit ad omnes partes officii Episcoporum seu Ministrorum Ecclesiæ*. Ergo, secundum D. Vedelium, Ministri Ecclesiarum in omnibus Ministerii sui partibus à Magistratu pendent. Cum observarem quam imprudenter hoc diceretur, visum fuit ad thesim istam obiter sic interrogare. Nisi bene distinguatur thesis ista, & explicetur quo pacto Magistratus potestas se extendat ad omnes partes officii Ministrorum Ecclesiæ: an non datur Magistratui occasio involandi in omnes partes mu-

neris & ministerii Ecclesiastici? D. Vedelius respondet, *Id explicari per totam disputationem.* Quam bellè, tum ex accuratissimo Reverendi viri D. Iacobi Revii, tum ex hac dissertatione, pro ratione instituti mei, cognosci potest. *Et primo quidem* (inquit) *in genere Quæst.3. paginis fere integris duabus, distinctione potestatis Magistratus formaliter & objectivè considerata, tum in specie Quæstionibus seqq.* Utramque explicationem breviter nobis ob oculos ponamus. In genere ad quæstionem tertiam extensionem potestatis Magistratus ad omnes partes officii ministrorum hoc modo exposuit. *Magistratus potestas habet se ad quasdam partes officii Ministrorum objectivè tantum seu directivè, non autem formaliter: non enim ipse administrat sacramenta, &c. sed tantum curat ut illa rectè fiant. Ad alias autem se habet & formaliter & objectivè: Vt enim Pastores habent jus vocandi alios Pastores, monendi suos Symmystas officii, judicandi in synodis, constitutiones Ecclesiasticas in synodis sanciendi, præsidendi in conventibus Ecclesiasticis, deponendi ministros, &c. ita Magistratus, & una cum Ministris omne illud jus habet; & præterea, pro imperio & potestate sua coactiva, externa quam habet, dirigit ordinem externum, & curat, jubet, ut ministri omnia illa rectè faciant, seu actionibus illis rectè defungantur.* Ergo, si D. Vedelio credimus, quod

res

res attinet Ecclesiasticas, circa quas potestas Magistratus dicitur se habere objectivè, quamvis Magistratus non concionetur, nec sacramenta administret, &c. curabit tamen ut Ministri ritè id faciant, dirigetque istas illorum functiones. An ergo ipse præscribet docendi, Sacramenta administrandi, & similia agendi, formulas; observabitque num ministri ministerium suum eis debite accommodent? Si hoc, an non id est dominium Magistratui tribuere in Ecclesia? Si non quæ, quæso, illa directio? Explicet D. Vedelius an cum authoritate & potestate coactiva conjuncta sit, an verò sit ministerialis. Si prius, qualem oportet esse directionem Magistratui convenientem (uti & post ad quæst. 6. dicit, *Magistratum circa res Ecclesiasticas habere potestatem cum imperio conjunctam & coactivam in Pastores Ecclesiæ & quasvis personas Ecclesiasticas*) quid quæso illa differt à dominio in Ecclesia? Si ministerialis, an ergo eadem erit, vel ejusdem generis, cum potestate Ministrorum qua & ipsi circa res Ecclesiasticas objective versantur? Certum enim est officium Pastorum etiam objectivè & directivè versari circa res Ecclesiasticas. Sic est potestas Magistratus circa res circa quas se tantum habet objectivè. *Ad alias autem* (ait) *potestas Magistratus se habet & formaliter & objectivè, ubi Magistratus primò formaliter jus habet cum Pa-*

storibus vocandi alios pastores, monendi illos officii, judicandi in Synodis, constitutiones Ecclesiasticas in Synodis sanciendi, præsidendi in conventibus Ecclesiasticis, deponendi ministros, qua ratione potestatem habet Ecclesiasticam Pastoralem adeo ut paris sit gradus, seu (ut Remonstrantes loquuntur) collateralis cum Pastoribus, uti & Pastores cum ipso: Deinde & objectivè, *pro imperio & potestate sua coactiva externa, dirigit ordinem externum, & curat, ac jubet ut ministri illa omnia rectè faciant*, atque ita dominatur & imperat illis. In priori illa videmus dominium: in posteriori hoc Ministerium cum dominio conjunctum. Hæc omnia dicit & dictat D. Vedelius, sed nihil horum probat. Nescio unde sit ipsi illa dictandi sine probatione authoritas. Nec video quomodo hæc ab Arminianismo excusare queat. Illis enim fundamentis nixa fuerunt ea omnia quæ tempore Remonstrantium, ipsis instigantibus, contra Ecclesiam & orthodoxos acta fuere. Dicit Pag. 31. in *Disputatione suâ hinc inde, speciatim in Conclusione, inculcari Magistratum non debere involare in partes eas quæ ministerio Ecclesiastico propria sunt. Non enim* (inquit) *potest aut debet Magistratus ipse concionari, administrare sacramenta, exercere disciplinam Ecclesiasticam.* Id ipsum dicunt & Arminiani. Sed addit: *Quod magistratus etiam sibi non debeat arrogare talem*

lem potestatem, quam ipse à Christo, & quidem solus, immediatè acceperit, ita ut ministri, aut nomine ipsius concionentur, sacramenta administrent, disciplinam exerceant, Ecclesiam gubernent: aut excludantur ab electione seu vocatione ministrorum, & à judiciis Ecclesiasticis. Quo sensu hæc accipiemus? Quid hîc negat D. Vedelius? An negat Magistratum potestatem istam immediate à Christo accepisse? An vero negat Magistratum solum eam accepisse? An verò negat utrumque, sc: & immediatè & solum accepisse? Si primum, ergo Magistratus mediatè acceperit illam potestatem: inquirendum quo intercedente medio. Si secundum, ergo non acceperit solus illam potestatem sed cum Pastoribus. Si tertium, ergo acceperit media mediatè, & quidem cum Pastoribns. En quam confusa & intricata sunt hæc omnia. Tribuit Magistratui in aliquibus potestatem directivam tantum, in aliquibus etiam formalem. Habetne utramque conjunctim cum Pastoribus, an verò alteram ipse solus, alteram verò immediatè? Bene negat Ministros nomine Magistratus concionari, sacramenta administrare, disciplinam exercere, Ecclesiam gubernare. Verum an non & ipsum negant Arminiani, cum in Apologia sua cap.25. dicunt, *Ad docendum, & ad docendum quod rectum ministris videtur, obligari conscientias Ministrorum ex lege*

 supe-

superioris Domini, *id est, ex lege charitatis, & ex speciali vocationis divinæ lege, quam resigere Magistratus nec potest nec debet.* Et rursum: *Si Ministri judicent in conscientia sua præscriptum Magistratus non esse Dei præscriptum, sed divinæ voluntati in verbo ejus expressè repugnans, non modo non possunt, sed & debent, Ministerium Magistratui recusare. Oportet enim Deo magis obædire quam hominibus.* Ostendat nobis D. Vedelius discrimen inter suam & Arminianorum sententiam, quam se in procemio longissimè dicit rejecisse.

In eâdem responsione ad annotationem meam appositam quæstioni tertiæ, D. Vedelius provocat ad quæstiones sequentes, in quibus speciatim explicet ad quas partes ministerii Ecclesiastici se extendat Magistratus potestas. Videamus igitur & illas quæstiones, ut eò illustrior fiat & rei veritas, & D. Vedelii super hac re sententia. Quæst. 4. extendit potestatem illam ad vocationem pastorum, & personarum quarumvis Ecclesiasticarum, ubi Thesis ipsius sic habet. *Vocatio pastorum pertinet ad potestatem Magistratus & formaliter & objectivè,* sive clarius & expressius sic: *Non soli ministri & personæ Ecclesiasticæ, sed etiam Magistratus, de jure divino potestatem habent vocandi pastores Ecclesiæ: insuper quoque Magistratus officium est curam habere ut ab ipsis Ministris in vocatione pastorum*

rum omnia rectè fiant, & abusus impedire imperio & potestate sua. Quæst. sequent. 5. extendit eam ad judicium de Religione & controversiis Ecclesiasticis, ubi Thesis ipsius hoc est. *Non solum ad Pastores & Doctores Ecclesiæ, sed etiam ad Magistratum pertinet judicium de Religione, seu rebus fidei & causis Ecclesiasticis, unice ex verbo Dei instituendum: & quidem ad eum pertinet, tum formaliter, tum objectivè.* Quæstione 7. ad disciplinam Ecclesiasticam, ubi ait, *Magistratus esse curam gerere ne Ministri Ecclesiæ disciplina Ecclesiastica abutantur, & alicui injuriam faciant.* Quæst. 8. tribuit Magistratui *potestatem leges ferendi Ecclesiasticas.* Et quidem horum omnium causa & respectu tribuit Quæst. 6. Magistratui *potestatem cum imperio conjunctam, & coactivam, in Pastores Ecclesiæ.* Sic Vedelius.

Audiamus Arminianos super re eâdem. Utenbogardus in libello suo de Potestate & officio Magistratus in rebus Ecclesiasticis, pag. 92. 93. & seqq. ubi agit speciatim de partibus regiminis Ecclesiastici, ad quas se extendit potestas supremi Magistratus, inter partes illas primo loco collocat *vocationem & constitutionem Ministrorum verbi, aliorumque officiorum Ecclesiasticorum juxta verbum Dei:* Deinde *curam ut Evangelium purè & rectè doceatur, & reliqua Ecclesiastici ministerij munia ritè obe-*

antur. Tum *lationem legum & constitutionum Ecclesiasticarum.* Denique *omnia quæ pertinent ad conventus quosvis Ecclesiasticos, quà majores, quà etiam minores.* Consideret prudens lector quantum hæc Utenbogardiana ab illis Vedelianis differant. Si dicat D. Vedelius se in istis omnibus Ministros Ecclesiarum Magistratui subjectos facere, non absolute, aut omni modo, sed aliquo tantum modo, nihil dicet. Supra enim audivimus quam ineptum, ambiguum, ac proinde & vanum sit illud *aliquo modo.* Nec Arminiani Ministros absolutè & omni modo Magistratui subjiciunt; sed suas etiam subjectioni isti adhibent limitationes. Quare nullius est quod in fine responsionis suæ ad Quæst. tertiam dicit. *Se errores Arminianorum statim in proœmio longissimè & expressissimè rejecisse.*

Vidimus subjectionem Pastorum & Ministrorum Ecclesiæ ratione functionis suæ sub Magistratibus, & quidem quoad omnes functionis suæ partes simul sumtas. Sequitur ut eandem subjectionem consideremus ratione singularum aliquot functionis istius partium seorsim: quod deinceps breviter erit agendum.

CA-

Cap. XVIII.

Docens penes quos sit jus Vocandi Ministros seu Pastores Ecclesiæ.

MAgna sine dubio pars est curæ ecclesiasticæ vocatio & institutio ministrorũ Ecclesiæ: quapropter & accuratè inquirendum penes quos jus & Potestas sit istius vocationis. Hic nobis eundum est ad ipsum verbum Dei, primamque ministrorum Ecclesiæ Novi Testamenti institutionem. In scriptis enim Novi Testamenti ab Apostolis & Euangelistis docetur, non tantum quales Ecclesiæ ministerio adhiberi debeant, uti hoc disertè & prolixè docet Apostolus in 1. Epist. ad Timoth. cap. 3. & in Epist. ad Titum cap. 1. verum etiam à quibus eligi isti & vocari debeant. Iesus Christus Dei Filius, Servator, caput, & Rex spiritualis Ecclesiæ suæ, immediate, nullius interveniente ministerio, elegit & vocavit discipulos suos itineris sui & peragrationis per Iudæam & Galileam socios: primum quidem ut suæ doctrinæ essent auditores; sed deinde etiam ut doctrinæ ab ipso acceptæ essent præcones. Quare & illos, tempore ministerii sui in terris, misit per Iudæam & Galileam, tyrocinium & primum aliquod specimen functionis suæ edituros. Post autem ascensurus in cælum potestatem ipsis fecit, & mandatum dedit, peragrandi

grandi totum terrarum orbem, omnibusque populis & nationibus annunciandi Euangelium. Atque hoc quidem ex supremâ suä & architectonica potestate, de qua dixit Matth. 28. v. 19. *Mihi data est omnis potestas in cælo & in terra: Euntes ergo docete omnes gentes, Baptizantes in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti, docentes eas servare omnia quæ præcepi vobis.* Hæc est prima origo Ministerii novi Testamenti. Quia verò Ministerium durare debet in Ecclesia ipsius usque ad seculi consummationem (sicut eodem loco promisit se ad illud usque tempus apud Ecclesiam suam permansurum) ipse verò coram carne suâ in posterum ad futurus non esset, voluit ab Ecclesia sua, utpote sponsa sua & familia, in qua verbum ipsius auditur & agnoscitur, sub directione Ministrorum à se institutorum, & eorum qui illos successu temporis sequuturi erant, suo nomine eligi & vocari ministros suos, ordinario Ministerio deinceps in suis singulos Ecclesiis functuros: quod praxis Ecclesiarum Apostolicarum docet evidentissime. Quin & hujus initium fieri debuit, & factum fuit, ab electione Apostoli, extra-ordinaria functione functuri cum reliquis ab ipso Christo immediatè vocatis. Quod ex mandato & instinctu ipsius Christi, & Spiritus sancti inspiratione, factum esse nemo ambigere potest. Cum enim per dies quadraginta

post

post resurectionem suam locutus fuisset Christus cum Apostolis suis de regno suo, Act. 1. v. 3. cumque Apostolos suos, imò totam suam Ecclesiam, alligasset mandatis suis Matth. 28. v. 19. Apostolus Petrus statim ab ascensione Christi, ante celebrem illam missionem Spiritus sancti, Ecclesiæ Ierosolymis congregatæ indicavit necessarium esse ut quis substitueretur in locum proditoris Iudæ, quò sc: duodenarius, qui à Christo constitutus erat, Apostolorum numerus suppleretur. Hic ergo Ecclesia ista confestim Petro monitore suas agnovit partes, *statuitq; duos è quibus alter Apostolus designandus esset*. Quia tamen extraordinaria erat functio, extraordinarium quid debere intervenire agnovit: quare *orantes Dominum, cordium omnium cognitorem, ut ostenderet utrum ex duobus istis elegisset ut acciperet sortem Ministerii & Apostolatus à quo Iudas aberraverat, posuerunt sortes & cecidit sors super Matthiam, qui communibus suffragiis additus est undecim Apostolis*. Art. 1. p. 23. 26. Videmus in primâ illâ post Christi ascensionem electione, & quidem ad munus extraordinarium, voluisse Christum in cœlis ad dexteram Dei Patris considentem uti opera & Ministerio Ecclesiæ suæ.

Hanc electionem primam Ecclesiasticam Apostoli sequuta est deinde electio Diaconorum Act. cap. 6. hoc modo instituta.

tuta. Quod duodecim sc: Apostoli, multitudine discipulorum, id est fidelium, advocata, eam monuerunt ut ex se dispicerent viros septem idoneo testimonio ornatos, quos curæ pauperum præficerent: quod cum toti multitudini gratum esset, electi fuerunt Stephanus &c., quibus Apostoli coram se constitutis, invocato Dei nomine, manus imposuerunt, atque ita in functione sua constituerunt & confirmarunt. Etiam hoc exemplum evidenter docet electionem & vocationẽ ad officia Ecclesiastica competere ecclesiæ. Actor. item 13. Narrat Euangelista Lucas Sp. Sanct. in Ecclesia quæ erat Antiochiæ mandasse, ut ex Prophetis & doctoribus qui isto tempore in ea erant, *seligerentur Paulus & Barnabas ad opus peragendum ad quod ipse eos vocaverat: Eosque post jejunia & preces manuum impositione ad illud oblegatos fuisse.* Sic istorum secretionem, & ad munus Euangelicum ablegationem, ab Ecclesia & per Ecclesiam fieri voluit Spiritus sanctus. Accedit quod idem Paulus & Barnabas presbyteros per singulas Ecclesias, sive in Ecclsiis quas colligebant, vel quas peragrabant, *per suffragia crearint vel constituerint*: Χειροτονήσαντες (inquit Evangelista) *quos deinde jejuniis & pracibus Domino commendarunt.* Elegerunt ergo fideles suffragiis suis, vel manuum extensione designarunt aut significarunt quos sibi præsbyteros seligerent,

Paulus

Paulus verò & Barnabas actioni illi præfuerunt, & selectos in demandata ipsis functione confirmarunt. Unde patet electionem quidem fieri ab Ecclesia, sed præsidentibus & actionem dirigentibus ejus Pastoribus & Inspectoribus. Quare & Paulus *Titum* (ut scribit in epistola ad ipsum data cap. 1. v. 5.) *in creta reliquit ut omnia corrigeret, & oppidatim Presbyteros constitueret sicut ipsi injunxerat*. Timotheo quoque mandat *ut à se audita committat hominibus fidis, qui idonei sint ad alios quoque docendos*. 2. Tim. 2. v. 2.

A Iesu Christo igitur promonavit institutio Ministrorum in Ecclesiâ, sicut & totum ministerium in Ecclesiis omnibus quaquaversum per totum terrarum orbem, ubicunque locorum eæ inveniuntur: à Christo potestas eligendi, vocandi, & instituendi Ministros, dimanavit in Ecclesiam, ut in regnum & familiam suam. Atque hoc est quod disertè docet Apostolus Eph. 4. v. 8. 11. 12. *Quum ascendisset in sublime, captivam duxit captivitatem, & dedit dona hominibus. Dedit autem ipse alios quidem Apostolos, alios Euangelistas, alios verò Prophetas, alios autem Pastores & Doctores, ad coagmentationem sanctorum, ad opus ministerii, ad ædificationem corporis Christi*. Hinc dicuntur *Ministri Christi* 1. Corint. 4. v. 1. *qui legatione funguntur nomine Christi* 2. Corinth. 5. vers. 20. excubias agentes in domo

in domo Dei, *qui vigilant pro animabus, ut qui rationem Domino sunt reddituri.* Heb. 13. vers. 17. Quare & graviter illos monet Apostolus Act. 20. v. 28. *ut attendant sibi ipsis, & toti gregi in quo Spiritus sanctus illos constituit episcopos, ad pascendam Ecclesiam Dei quam acquisivit suo sanguine.* Qui proinde sicut nomine Christi præpositi sunt Ecclesiæ Dei, ut eam pascant & regant, ita & curare debent ne qui falsi fratres, aut lupi rapaces, in ovile Christi se ingerant, utpote ad quos arcendos custodes & Pastores gregis Dominici sunt constituti. Quare & illorum est, ut toti Ecclesiæ, ita & electioni ac vocationi aliorum pastorum, debito ordine in Ecclesiis fidei suæ commissis præesse, aut saltem illius curam habere. Nec tamen jus hoc, aut hæc Potestas Ecclesiæ, ad Inspectores illos & Ecclesiarum gubernatores absolutè transfertur, quasi ipsis hic liceret agere pro arbitrio: Tenentur enim hac in parte, juxta institutum Christi supremi Pastoris & Regis spiritualis, se gerere *ut Ministros Christi, ut Ministros fidelium, sive Ecclesiæ propter Iesum Christum* 2. Cor. 4. vers. 5. omnia dirigentes ad ædificationem, consolationem, & sublevamen Ecclesiæ Dei, cogitantes *se Christi esse, sicut Ecclesia Christi est.* 1. Corinth. 3. v. 22. Quare sicut, ad vitandam omnem dominationem, agnoscere debent omnes se esse æquales, juxta id

quod

quod Christus dixit Matth. 23. vers. 8. *Vos estis omnes fratres*, quamobrem etiam in se mutuò dominium exercere non debent, Matth. 20. v. 25. 26. 27: ita *nec licet ipsis dominari clero Domini.* 1. Pet. 5. vers. 3. aut Ecclesiæ curæ ipsorum commissæ. Ut ministros igitur Christi, ad illos præ aliis in electione istâ attendere ipsos quam maximè oportet, quos observant, zelo divino & Christianâ prudentiâ præditos, bona cum conscientia Deo servire, & causam Christi atque Ecclesiæ ejus contra omnes adversarios masculè tueri, nihilque sibi propositum habere præter Dei Christique gloriam & Ecclesiæ salutem: Ut Ministros autem Ecclesiæ, observantes, quò, salva conditione jam dicta, animi Ecclesiæ maximè inclinant, vel quos judicant Ecclesiæ fore quam maximè gratos. Ita rationem habentes, tum Ecclesiæ, tum muneris sui, tales eligent, vel ad tales se convertent, in quibus, cum gratia quam habent apud Ecclesiam, conditiones verbo Dei requisitæ reperientur, juxta præscriptum Apostoli 1. Tim. cap. 3. quos deinde, ordine debito, consentiente & suffragante Ecclesia, præviis ad Deum precibus, ei præficient, & in functione sua constituent: sedulo observantes grave Pauli monitum 1. Timot. 5. vers. 21. 22. *Obtestor in conspectu Dei, & Domini Iesu Christi, & electorum angelorum, ut hæc serves absque præjudicio, nihil faciens*

faciens ex affectu, aut declinando in partem alteram. Manus cito ne cui imponas, neque communices peccatis alienis: temetipsum purum serva. Ista igitur electio, vocatio, institutio, facta juxta tenorem verbi divini nomine Christi, quamvis ab hominibus fiat, quia tamen ex institutione & mandato ac potestatis ipsius Christi promanat, rata, & legitima ab ipso habetur. Quam etiam ob causam & in Reformatis Belgicis Ecclesiis, Pastores & Seniores publicè coram Ecclesia in munere suo confirmandi, interrogantur, *An non sentiant, & pro certo habeant in animis suis, se legitimè ab Ecclesia Dei, & proinde ab ipso Deo, suis illis muneribus obeundis præfici & adhiberi?*

Hæc certa & firma sunt, utpote in verbo Dei perspicuè tradita. Quid ad hæc Utenbogardus cum Remonstrantibus suis, & alii similes regerent? An hæc negabunt? Non possunt. An rationes alias in contrarium adducent? Deberent ergo dari dicta, mandata, exempla in quibus pateat curam & potestatem vocationis illius Magistratui esse traditam, aut potestati politicæ subjectam esse vel subordinatam. Ubinam (quæso) inveniuntur illa? Dicentne Potestatem illam fuisse penes Ecclesiam, quamdiu sub cruce versaretur destituta Magistratibus Christianis: sed postquam Magistratus ad Ecclesiam accessere, ad illos esse

esse devolutam? Producant ergo tabulas juris, proferant mandatum aut pronunciatum Christi summi regis & Ecclesiæ capitis, quo statuit & declaravit potestatem illum tantisper quidem fore penes Ecclesiam, donec Magistratus nomina sua dent Ecclesiæ, ejusque tutelam in se recipiant: sed tunc ad illos transferendam. Dicere hic non sufficit, probare oportet quod dicitur. Quum Utenbogardus enumerat partes vel muneris vel potestatis Ecclesiasticæ, ad quas supremi Magistratus potestas sese extendit, primam inter eas ponit, *Vocationem & institutionem Ministrorum verbi, aliorumque munerum Ecclesiasticorum, secundum verbum Dei*. Sed hoc nimis est ambiguum. Dupliciter enim potest intelligi. Deberet igitur explicare utrum velit indicatum, An Magistratibus incumbere curam, sive teneri illos curare & efficere potestate sua coactiva, ut Ministri verbi, aliique qui res Ecclesiasticas administrent, eligantur, vocentur, instituantur modo debito, juxta præscriptum verbi divini, ut nunc ostensum: an vero ipsorum esse, quippe quibus verbo Dei hoc demandatum sit ut Ministros verbi, aliosque qui Ecclesiasticis muniis fungantur, eligerent, vocent, instituant, Prius si volunt nos habebunt assentientes. Novimus enim Potestatem Magistratus etiam ad hoc adhiberi posse & subinde debere, ut munia Ecclesiastica,

siastica, quique ea obeant, rite instituantur: adeò ut si id debito fiat ordine, Magistratus stabilire illud, sancire, & tueri teneatur: si verò transgrediatur quis limites istius ordinis & ad illum corrigendum, vel cohibendum, potestas externa coactiva requiratur, cohibere Magistratus illum possit, & in ordinem redigere. Si verò posterius volunt, petimus ut demonstrent nobis ubinam in verbo Dei potestas talis à Deo Magistratui facta sit, aut munus illud ipsi injunctum.

D. Paræus, quem supra audivimus aliquoties loquentem de Potestate Ecclesiastica supremi Magistratus, & de Potestate Architectonica illius circa Ecclesiastica, in expositione propositionis suæ octavæ ad dubium 5. in caput 13. ad Romanos, quam propositionem controversam esse dicit, hanc statuit tertiam potestatis νομοθετικῆς, seu Regiæ, circa bonum spirituale subditorum curam, *Vt judicia Ecclesiastica ordinaria: hoc est, presbyteria. synedria, & consistoria Ecclesiasticorum, ubi desunt, cum authoritate constituat, à quibus Pastores & Ministri Ecclesiæ, ad docendi munus idonei, juxta Canones & exempla Apostolica, eligantur, vocentur, ordinentur, Ecclesiis præficiantur, transferantur, suspendantur, causa legitimè cognita deponantur si opus sit.* Non dicit autem vel explicat utrum illi è quibus ista Synedria & consistoria constabunt primitus,

mitus, sint eligendi, vocandi, ordinandi, ab ipsa potestate supremâ; an verò à potestate Ecclesiasticâ. Sic etiam nihil de eo, an ipse Princeps sit selecturus è numero Pastorum ex quibus illa synedria constare volet; an verò permissurus Pastoribus & Ministris ut è medio sui seligant & deputent quos idoneos maximè judicabunt: nec tamen negat à Magistratu eligendos, vocandos, & ordinandos esse. Sic rursum incerti hæremus. Attamen qualis est vocatio Pastorum insequentium, vid: eorum qui à consistoriis & synedriis at conventibus Ecclesiasticis eligendi sunt, vocandi, ordinandi, talis debet esse vocatio illorum priorum, ex quibus, authoritate supremæ potestatis, consistoria illa & synedria essent constituenda.

D. Nicolaus Vedelius ulterius progreditur, & ad quæstionem suam quartam, *An Magistratus habeat potestatem vocandi Pastores seu Ministros Ecclesiæ?* disertè respondere audet hoc modo: *Vocatio pastorum pertinet ad potestatem Magistratus, & formaliter, & objectivè.* Quod, ut clarius loquatur, sic explicat. *Non soli Ministri & personæ ecclesiasticæ, sed etiam Magistratus, de jure divino potestatem habent vocandi pastores Ecclesiæ: Insuper quoque Magistratus officium est curam habere ut ab ipsis Ministris in vocatione pastorum omnia rectè fiant, & abusus impedire imperio & potestate sua,*

sua. Propositionis illius, quæ bimembris est, membrum prius nostræ assertioni supra demonstratæ directè repugnans, Asserere audet *esse doctrinam totius Ecclesiæ Reformatæ*. Quid eâ de re sit, eruditissimus vir D. Iacobus Revius accuratè examinavit. Ad istam quæstionem quartam, & propositionem D. Vedelii annotaveram. Si Magistratus jure divino potestatem habet vocandi pastores Ecclesiæ, probari debet è verbo Dei ista potestas. In Vet. Testamento Magistratus non constituerunt sacerdotes & Ministros cultus divini: sed ipse Deus sibi selegit tribum Levi; Aaronemque & ejus posteros ipse constituit sacerdotes. In Novo Testamento ipse Christus dedit Apostolos, Prophetas, Euangelistas, Pastores & Doctores, qui deinceps per Ecclesiæ suffragia alios elegerunt, vocarunt, instituerunt. Ubi ergo jus illud divinum? Aliud est Pastorem non præfici Ecclesiæ, ubi illa in publico versatur, & à Magistratu defenditur, nisi conscio & consentiente Magistratu, quia pastor ille in publicó loqui debet: aliud verò jus vocandi Pastores formaliter pertinere ad Magistratum. Sic ego ad quæstionem istam quartam.

Oportebat ut ad hæc respondens D. Vedelius exhiberet jus illud divinum. Sed nihil minus. Aliud enim nil exhibet præter explicationem quandam sententiæ suæ: quæ qualis sit, quantumve satisfacere queat,

at, videamus. *Quando dico* (inquit) *Magistratui competere jus vocandi, aut formaliter vocandi pastores, non hoc volo ac si Magistratus solus, exclusa ecclesia, possit vocare pastores.* Sed frustra sic se excusat: nam hoc nomine non reprehenditur. *Hæc* (ait) *est mens mea: quod quemadmodum Pastores habent suffragium suum in vocatione Ministrorum, ita etiam Magistratus suffragium suum in vocatione eorum habeat.* Hoc est quod reprehendimus. Pastores enim Ecclesiasticè illic agunt, & suffragium ferunt Ecclesiasticum, quo Ecclesiæ illi, quà Ecclesiæ, prospiciunt de Ministro fideli. Si Magistratus etiam sic suffragium suum fert in vocatione Ministri, est & ipse persona Ecclesiastica, ecclesiasticè agit, & ecclesiastico fungitur munere: nec nisi hoc statuendo vocatio Ministri formaliter Magistratui attribui potest. Quod ad exemplum Imperatoris Theodosii suffragium in vocatione Episcopi Nectarii ferentis attinet, supra diximus, non exemplis sed legibus esse vivendum. Nec certè vir prudens omnia quæ, vel ab Imperatoribus, vel ab Episcopis acta fuere approbaret. Si quis tamen exemplis pugnare, eoq; fine exempla ex historiis antiquis proferre voluerit, ostendemus (Deo dante) quas ob causas exemplis ejusmodi nō adeò multū tribui debeat. Sed de exemplo isto peculiariter egit Clariss. D. Revius. Provocat autem porrò D. Vedelius

ad verba D.D. Prof. Leid. disp. 50. th. 52. ubi dicunt, *Magistratum, tanquam quarti præcepti custodem, procurare debere, ut viri idonei per Presbyterium, accedente, tum imprimis ipsius, tum totius quoque Ecclesiæ consensu ac suffragio, ad munus pastorale legitimè vocentur*. Verum aliud est procurare ut per Presbyterium legitimè vocentur: aliud ipsum Magistratum formaliter vocare. Potestas enim Magistratus objectivè versatur circa omnia munia quæ publicum spectant, & quatenus in publico exercentur, ut ea omnia in bonum subditorum suorum in publico exerceri faciat: attamen secundum ordinem qui singulis eorum competit aut convenit: quem proinde authoritate suâ sancit, munit, ac stabilit, tueturque, ne quis præfractè illum turbet. Quis autem ille ordo sit supra ostendimus: quem etiam illi ipsi D. D. Professores servari volunt, cum dicunt eodem loco, *Ad munus pastorale legitimè vocentur, ac coram ecclesia ordinentur, ex more Apostolorum & Euangelistarum, Act. 14. vers. 23. Tit. 1. v. 5. quem Patres nostri, sub piis viventes Magistratibus, constanter observarunt*. In summa ait D. Vedelius se *nihil aliud velle quam vult Synodus Dordracena, Constit. Eccles. art. 4. 5, ad quam se ibidem conceptis verbis refert; quod etiam vult Praxis Ecclesiarum Reformatarum, speciatim in Belgio, & quod denique volunt Theologi nostri* quos ibidem

alle-

allegat. Certè si nihil aliud vult, male attribuit Magistratui vocationem Ministrorum formaliter. Nam nec hoc facit Synodus Dordracena, nec praxis Ecclesiarum reformatarũ in Belgio, utpote quæ vocationem Ministrorum, non Magistratui, sed Ecclesiæ formaliter competere disertè docet.

Verum ad *suffragium* quod D. D. Theologi Leydenses Magistratui tribuunt provocabit. Ad quod observandum, non esse illud suffragium Ecclesiasticum, pertinens ad vocationis formam: (Hoc enim si esset nulla posset dari legitima vocatio sine Magistratus consensu & suffragio) sed Politicum quo Magistratus concedit ut ministri munere suo, à consistorio, sive Presbyterio, & ab Ecclesia ipsis imposito, in publico fungantur. Quod suffragium ipse etiam D. Vedelius aliquo modo explicare conatur, sic aiens, *Suffragium porrò illud Magistratus vocatur etiam consensus, prout non solum in Consideratione vocatur, sed etiam à me ipso ex loco modò allegato Synopseos. Et certè consentire & suffragari, συντίθεσθαι & ψηφίζεσθαι sæpe pro eodem sumuntur apud authores, quà profanos, quà Ecclesiasticos.* Novimus hoc, sed nihil ad rem. Nam Magistratus sine suffragio non præbet consensum suum ad publicam Ministri Ecclesiæ muneris sui functionum. Quæritur de suffragio Ecclesiastico, quod Magistratus, qua Magistratus, ferat in delibera-

tione de Ministro vocando, & quo formaliter concurrat ad vocationem Ministri formaliter constituendam. Quamdiu illud non monstrat, nihil monstrat, nec docet quod docendum erat vid: Potestatem vocandi Ministros jure divino formaliter pertinere ad Magistratum. Dicit *suffragium istud ab aliis etiam dici Confirmationem, ut à Sibrando contra Grotium Pag.* 172. *item Approbationem ut in Canonibus citatis Artic.*4.5. Hoc cum dicit se ipsum confundit. Aliud enim formaliter est vocatio & electio, aliud ejus confirmatio & approbatio, quæ fit authoritate publicâ & potestate coactiva. *Sed Iunius* (ait) *lib.de Cler.c.*7.*n.*31. *vocat etiam approbationem, item electionem n.*17. *cum inquit: nec populi solius aut Magistratus est electio, quod Concilium* 2. *negat, nec solius Cleri, quod prisci Canones, sed conjunctim ad utrosque pertinet, ut Capitulari Caroli & Ludovici prudenter cautum.*

Respondeo Iunium approbationem & electionem inter se confundere, ut tum temporis confusæ fuere, ex humano, sed prudenti, Imperatorum Caroli & Ludovici consilio, quod inierunt causa turbarum & confusionum istius ævi, quibus isto suo consilio remedium aliquod se adhibituros sperarunt. Audiamus hac de re illum ipsum Iunium eod. cap. num. 17. sic disserentem. *De Martini I. decreto fides penes Martinum Bracarensem esto, authorem non adeo fidum*

fidum certumque. Veruntamen ut demus verum esse, non dubium est quin propterea fuerit à Martino & Ecclesiis Occidentalibus factum, quod Heraclius Constans Imperator, gratia populi & sua authoritate fretus, auderet Episcopos destituere & instituere ex animi sui sententia. Hujusmodi autem occasiones Romani Pontifices venati sunt diligentissimè, ut suum imperium in Ecclesiam speciosè confirmarent. Sed Martinum obnitentem Imperator tandem, opera Theodori Exarchi comprehensum, exsulio multavit: adeò fervebant utrimque partes. Inde autem ab eo tempore, æstuante factionibus Ecclesia, decreta ejusmodi ultrò citròque injustè facta sunt, Imperatoribus & populo Ecclesiam prementibus, Ecclesiaque vicissim reluctante, ad Concilium Nicenum 2. usque: cujus iniquitatem, atque adeò ambarum partium πραξικοπίαν, sublaturi Carolus Magnus & Ludovicus filius, ad primitivam electionum formam in suis Capitularibus omnia revocarunt, ut habetur Distinct. 63. cap. Sacrorum Canonum. Aiunt enim, Sacrorum canonum non ignari, ut Dei nomine sancta Ecclesia suo liberius potiatur honore, assensum ordini Ecclesiastico præbemus, ut sc: Episcopi per electionem cleri & populi, secundum statuta Canonum, de propria diœcesi (remota personarum & munerum acceptione) ob vitæ meritum & sapientiæ donum eligantur, ut exemplo & verbo sibi

sibi subiectis usquequaque prodesse valeant. Hæc est illa primitivæ electionis forma, ad quam in posterum revocari electionem voluerunt Carolus & Ludovicus Imperatores, indicante Iunio. Pergit itaque Iunius, & dicit. *Hac Caroli Magni reformatio utrosque, & clerum, & populum, & in eo Magistratum, revocans ad æquabilem & justam priscorum Canonum observationem.* At (dico ego) in istâ electionis formâ electio clero & populo tribuitur, nullâ approbationis aut confirmationis Magistratus facta mentione. Pergit nunc Iunius & dicit, *Nec populi solius aut Magistratus est electio, quod concilium Nicenum 2. negat: nec solius cleri, quod prisci Canones: sed coniunctim ad utrosque pertinet, ut Capitulari Caroli & Ludovici prudenter cautum.* Est ergo prudens institutio istorum imperatorum pro ratione temporis, ut continuis turbis prudenter occurreretur: &, quantum posset, consuleretur tranquillitati publicæ. At nos inquirimus in jus divinum, quod nobis promisit D. Vedelius, sed necdum ostendit. Qui deinde porro docet, *quare termino Scholastico usus sit,* & quidem, ut putat, *convenienter & idoneè: quia sc: natura seu forma vocationis non consistit, vel in successione hæreditaria, ut in Vet. Testamento: vel in electione per sortem ut electio Matthiæ Apostoli Act. 1. sed in electione per suffragia; & speciatim etiam in suffragio Magi-*

Magistratus, non tantum in suffragio Pastorum & populi. Hoc rursum est absque probatione dicere & dictare quod in quæstione est. Dicendum hoc non erat D. Vedelio, sed demonstrandum. Hoc enim diserte negamus, quod sc: natura & forma vocationis consistit, non tantum in suffragio Pastorum & populi, sed etiam & speciatim in suffragio Magistratus. Hoc enim si est, omnes quotquot in ullis Ecclesiis, per totum terrarum orbem, in oriente & occidente, tribus integris seculis factæ sunt electiones natura & forma electionis caruerunt, utpote quæ omnes caruerunt suffragio Magistratus.

Nec contrarium statuit Synodus Dordracena nationalis postrema, quippe quæ electionem tribuit Presbyterio & Diaconis: quamvis adjectum quidpiam sit (quod priores constitutiones non habuerunt) de Correspondentia cum Magistratu Christiano, quæ nihil aliud indicat quam communicationem cum Magistratu eo fine ut ex illo percipiatur, num quidpiam contra personas à Presbyterio nominatas proferre possit, cur ex iis electio institui non debeat suffragium autem in electione Magistratui non defert. Hæc tamen correspondentia, ut aliquibus non satisfacit, ita nescio quam disputandi aut altercandi nonnunquam præbet vel occasionem vel materiam.

Mihi alioquin (ait) *perinde est quo nomine suf-*

ne suffragium Magistratus appelletur, modò de re constet, & Magistratui non minus, quam Pastoribus, & reliqua Ecclesia, jus suum sartum tectum conservetur. Sed hoc non sufficit: non debet hoc perinde esse; Res ipsa debet primum doceri ex verbo Dei, & tum convenientibus etiam vocabulis vel nominibus exprimi. Subsumit, *Tale autem jus, seu suffragium, sive consensum, sive confirmationem, sive vocationem, sive approbationem competere Magistratui, ex Scriptura uno verbo ibidem ostendi.* Itane hæc omnia idem sunt D. Vedelio? Itane ipsi perinde quidnam Magistratui largiatur? Ergo Magistratus vocabit Ministros Ecclesiæ ad ministerium Ecclesiasticū, tribuet illis potestatem clavium regni cœlorum, & jus administrandi verbum Dei & Sacramenta. Verum ubinam tale jus seu suffragium Magistratus, quod pertineat ad naturam & formam vocationis Ministrorum Ecclesiæ, ostendit nobis D. Vedelius in verbo Dei? In textu suo ad quæst. istam quartam provocavit ad praxin piorum regum ac principum, tum in Ecclesia Vet: tum in Ecclesia novi Testamenti. Sed praxis Piorum regum Vet: Testamenti nunquam ipsis tribuit electionem Ministrorum istius temporis, quam ipse Vedelius hic dicet (& verè quidem) constituisse in hæreditaria successione: praxis vero piorum Regum & Principum novi Testamenti non habe-

habetur in Scriptura novi Testamenti: Itaque desideramus adhuc videre illud Ius divinum, ex quo Magistratui formaliter competat vocatio ministrorum Ecclesiæ.

Tandem probabit jus illud ex S. Scriptura hoc modo. *Docet enim Scriptura jus vocationis Ministrorum pertinere ad totam Ecclesiam, prout speciatim patet ex Act.* 14. *v.* 23. *Ergo etiam docet illud ad Magistratum simul pertinere.* Sed illa consequentia nulla prorsus nobis videtur. Nam Magistratus quà talis ad Ecclesiam non pertinet. Hoc quidem sequitur, Ad illos qui Magistratu funguntur, si fidelis sunt quatenus fideles sunt & Ecclesiæ membra, jus illud pertinere, uti pertinet ad totam Ecclesiam; quod ultro damus. Verum de eo non quæritur, sed an jus illud pertineat ad Magistratum quà Magistratum. Non autem sequitur, si pertinet ad Ecclesiam, pertinere ad Magistratum quà Magistratum. Magistratus enim quà Magistratus ad Ecclesiam pertinere dici non potest, nisi officium Magistratus faciamus officium Ecclesiasticum, & omnes Magistratus dicamus pertinere ad Ecclesiam. Ita necdum satisfecit D. Vedelius.

Utenbogardus & Remonstrantes producunt exemplum Mosis, quasi ille ut supremus Magistratus Ecclesiam rexerit & Sacerdotes constituerit. Hoc fine allegant quod Exod. 16. v. 9. narratur dixisse Aaroni, dic

ni, *dic universo cœtui filiorum Israel, Accedite in conspectum Iehovæ quia audivit murmurationes vestras.* Etiam quod Deus Exod. 28. v. 1. dixit Mosi, *Accerse ad te Aharonem fratrem tuum, & filios ejus secum è medio filiorum Israel, ut sacerdotio fungantur mihi* Item quod Levit. 8. Moses dicitur *Aharonem & filios ejus unxisse, & consecrasse* Deo *in sacerdotes,* Quodque Moses *Aharonem moriturum exuerit vestibus suis, iisque induerit Eleasarum filium ejus:* quo ritu indicatum fuit quod Eleazarum constituerit in locum Patris sui. Sic quoque quod Num. 25. vers. 13. *Phineas & posteri ejus donantur pacto sacerdotii perpetui.* Valde urgent quod *Deus hæc omnia præceperit & ordinarit per manum Mosis ut supremi Magistratus.* Sed facile nobis est respondere, Si exemplum hoc habendum sit pro norma & mensura potestatis architectonicæ supremi Magistratus in rebus ecclesiasticis concedendam esse omnibus supremis Magistratibus potestatem de novo instituendi insolitum ordinem Ecclesiasticum, Ministros Ecclesiasticos, non tantum vocandi, sed etiam ordinandi & consecrandi, & ordinem illum affigendi generi vel tribui cuidam singulari ad finem usque mundi. Si nemo sanus hoc concesserit, planum est exemplum hoc probandæ illi potestati parum convenire. Omnia ista loca testantur quidem, Mosem illa indicasse

& ordinasse nomine ac jussu Dei, adeoque Deum illa ordinasse per Mosem; sed non dicunt Deum ordinasse illa per Mosem ut supremum Magistratum. Hoc dicit Utenbogardus: non hoc dicit Scriptura. Deus ipse elegit Aharonem & filios ejus sacerdotes, deditque Phineæ & semini ejus pactum pacis & perpetui sacerdotii, ut loca illa manifestè testantur: Ad hoc autem significandum & exequendum usus est opera Mosis, non ut supremi Magistratus, sed ut eminentissimi Phrophetæ & designati interpretis voluntatis suæ: quod in præcedentibus abunde demonstratum. Verum si hæc omnia à Mose ut Magistratu supremo gesta sunt, quam ob causam non licuit reliquis supremis Magistratibus & Regibus populi illius sacerdotes instituere eligere, ungere quos visum ipsis fuit? Qui fit quod *Ieroboam Rex in Israele* peccarit *constituendo ex minimis è plebe sacerdotes, qui non erant de tribu Levi?* 1.Reg. 12. v. 31. An & cum reliquis supremis Magistratibus locutus est Deus, sicut cum Mose, indicans eis quos sacerdotes ungi & Ministros in domo sua constitui vellet?

Sentiens itaque Utenbogardus non admodum sibi convenire istud exemplum, argumentumve inde solidum confici non posse, conatur illud aliunde nonnihil fulcire. dicens Pag. 95. *Si quis putet singulare quid fuisse in isthoc exemplo quod regu-*

lam generalem constituere non possit, is consideret negari non posse, quod saltem hoc exemplum junctum cum exemplis sequentibus Iudicum & Regum Israelis qui Propheta non fuerunt, fundatis simul in universali & ordinario mandato Dei Regibus illis & Magistratibus exhibito (ut supra ostensum) generalem regulam firmam adeo conficiat, ac quapiam dari posset ut ordo aliquis ei superstruatur, aut ut pro divina recipiatur. Sed nos observamus, & rotundè dicimus, Utenbogardum amplè nimis hîc extendere exempla illa. Rogamus ubinam sit generale illud & ordinarium Dei mandatnm, quo Regibus & supremis Magistratibus Israelis, non Prophetis, præcepit ut sacerdotes & Ministros in domo suâ constituerent & ordinarent. Hactenus illud non vidimus, nec à quopiam nobis monstratum observavimus. Ostendimus supra Deum quicquid ad ministerium cultus sui ordinare & præcipere voluit, ordinasse & præcepisse per Prophetas suos, vel per ejusmodi Magistratus supremos, qui & simul Prophetæ fuerunt: reliquos autem Reges & Magistratus, non Prophetas, illis præceptis & constitutionibus divinis præcise alligatos fuisse. Ideoque sicut illi Magistratus, quibus Deus ut Prophetis & internunciis suis ad populum usus fuit, nihil aliud præscripserunt, nec ipsis præscribere fas fuit, quam quod à Deo immediatè acceperunt:

runt: ita & reliquos Magistratus debuisse simpliciter in omnibus, absque ulla immutatione, pręcepta illa & constitutiones divinas observare, & potestate sua coactiva sancire, stabilire, ac defendere, ut à toto populo fideliter observarentur.

A Veteri Testamento transiens Utenbogardus ad novum, dicit Pag. 94. *Iesus Christus Dei Filius, Rex Regum, Novi Testamenti mediator, ut sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech, abrogans sacerdotium Aaronicum, munia Ecclesiastica immutavit, & loco Sacerdotum ac Levitarum dedit primum Apostolos, Euangelistas, & Prophetas; deinde etiam Pastores & Doctores, qui porrò alios Ecclesia Christiana suffragiis vocarunt, & impositione manuum Presbyterii consecrarunt, absque consensu Magistratus, qui tempore illo super re isthac sollicitatus non fuit, ideo quod tum temporis sub cruce gemebat Ecclesia: & à Magistratu non tantum non defendebatur, sed & variis modis affligebatur.* Habemus ergo ipsius Utenbogardi de origine & institutione Ministerii Novi Testamenti confessionem; sententiam nostram manifestissimè confirmantem: quia ex illa confessione luce meridiana fit clarius, Christum velle Ministros suos, non à Magistratu, sed ab Ecclesia, ut sponsa sua & familia, & à ministris ab ipso, seu ipsius nomine, jam constitutis, vocari, constitui, ordinari. Si Utenbo-

tenbogardus hoc rite considerasset, & pacato animo perpendisset, non temerè adeo conscripsisset & edidisset librum illũ suum: Nam sola illa confessio sufficit ad totum istius libri fundamentum penitus convellendum.

Ratio sive exceptio addita, *Quod Ecclesiæ isto tempore sub cruce fuerint*, nihil ipsum juvat. Nam 1. certò & evidenter demonstrari deberet, id pro isto tempore extraordinariè factum fuisse, absque præjudicio potestatis à Deo Magistratui datæ, donec Magistratus verbum ipsius seu Euangelium amplexurus esset de quo hactenus nihil nobis innotuit. 2. Doceri deberet functiones Ecclesiasticas functiones esse Politicas, subordinatas potestati Magistratus, ut reliquæ omnes functiones quæ ad Politiam pertinent: verum hoc directe pugnat cum prima institutione functionum Ecclesiasticarum facta à Christo Iesu, qui potestatem civilem sibi nunquam arrogavit, & regnum suum de mundo hoc non esse testatus est. 3. Si Iesu Christo aliter visum fuisset, vel judicasset alium agendi modum, alium ordinem, facere ad promotionem regni & ædificationem Ecclesiæ suæ, tam facile ipsi fuisset Magistratus excitare quos regimini Ecclesiæ suæ adhiberet, eisque mandare ut se absente Ministros eligerent & constituerent, atque constituit Apostolos, Prophetas, Euangelistas, Pastores

stores & Doctores, eisque injunxit alios vocatione Ecclesiastica sibi adjungere sibive substituere. Quapropter ineptum est, & præter omnem rationem, quod Utenbogardus subjungit, dicens, *Quod Magistratus, quum Iesum Christum & veritatem ejus amplectitur, non haberet suffragium in vocatione Ministrorum Ecclesiæ, vel summam sub Christo potestatem in Ecclesiam, tum quoad hoc, tum quoad alia negotia Ecclesiastica ex illo dependentia, amisisset, sine veritatis læsione, magnaque absurditate dici non potest.* Nam è contrario dicere nobis licet, planè illud absurdum esse, & cum præcedenti ipsius confessione consistere non posse. Iesus enim Christus, Ecclesiæ suæ, quæ regnum est spirituale, Rex spiritualis, nunquam dedit Magistratui summam sub se potestatem in Ecclesiam suam: quin & summa potestas in Ecclesiam sub Iesu Christo, quæ ulli homini in hoc mundo attribui posset, nihil est præter Antichristianam arrogantiam, ut in præcedentibus abundè, demonstratum. Dubium non est quin Magistratus, qui Deum timent, & spirituale Christi regnum ritè cognoscunt, vana ista & absurda commenta sint detestaturi. Certè quod Magistratus nunquam habuit amittere non potest: sed fusè satis hactenus demonstratum est, Magistratum nunquam habuisse ejusmodi potestatem qualem Utenbogardus & alii ipsi

adme-

admetiuntur. Ineptè igitur loquitur de ejus amissione. Manet ergo potestas eligendi & vocandi ministros Ecclesiæ penes Ecclesiam, ejusque Inspectores, & Pastores, ac gubernatores, nihilque hactenus productum quod solidè illi opponi possit.

Cum hac legitima potestate Ecclesiastica nequaquam consistere potest jus quod dicitur Patronatus, quo sc: quis sibi attribuit potestatem, nominandi non tantum & præsentandi, sed in Ecclesia hac vel illa, in quam jus hoc sibi competere asserit, constituendi Pastorem quem ab Ecclesia proinde ecclesiasticoque conventu recipi velit: juxta decreta & statuta Pontificia ortum acquisitumve, ex fundatione, ædificatione, aut ditatione templi aut Ecclesiæ aliisve causis similibus. Hoc enim jus non ortum est à Christo, fundatumve in ordinationibus ejus aut constitutionibus, sed inventum est merè Pontificium, quò ditiores invitentur ad plura templa, sacellave, aut altaria extruenda; fundos in quibus extruantur Ecclesiæ donandos; reditibus templa, sacella, & altaria donanda; & alia ejus generis agenda quibus superstitiones, & superstitiosi cultus Pontificii, augeantur & propagentur. Quod proinde ejusdem cum superstitionibus & Idololatria Pontificia originis, non ante introductum fuit, quam Ecclesiæ libertate & po-

testate

testate à Christo ipsis facta privatæ, & in potestatem, atque sub jugum, Romani Antichristi redactæ essent. Quare æquum esset ut simul cum omnibus Pontificiis superstitionibus ex Ecclesiis reformatis exterminaretur. Fundando enim ædificando, & ditando templa ista, sacella, altaria, &c. instituendoque & ordinando plures sacerdotes, vicarios, aliosque istius farinæ, sive Papalis superstitionis ministros, augebantur subditi & Ministri Pontificis Romani contra Potestatem & authoritatem Imperatorum, Regum, aliorumque supremorum Magistratuum: quippe qui isthac ratione potestati Magistratuum exemti (notum est enim Ecclesiasticos in Papatu non esse subditos Magistratuum) à Pontifice Romano, suis declamationibus, superstitiosis & sæpe seditiosis concionibus, confessionum auditione, absolutionibus, interdum quoque Indulgentiarum venditione, aliisque id genus artibus, contra Imperatores, Reges, Principes, &c. armabantur. Ubi etiam rite observandum, prætensum hoc jus non esse. Ius Politicum, concessum ab Imperatoribus, Regibus, aut summis Magistratibus, sed Ecclesiasticum, utpote datum ab Ecclesia, Ecclesia sc: Pontificia, prout tunc temporis constituta erat, Ecclesia quidem corrupta, superstitiosa, attamen ab Ecclesia. Quare ipsa origo, introductio, donatio, dispensatio,
distri

distributio Iuris istius evidentissimè docet, electionem, vocationem, & institutionem ministrorum ecclesiasticorum Ecclesiæ ipsi competere; quandoquidem Jus, aut particula juris illius, ab Ecclesia peti, accipi, & donis ac muneribus acquiri debeat; ecclesiaque, vel personis Politicis, vel etiam ecclesiasticis (quia utrumque illic fit, prout omnia illic confusa sunt) tantum de eo partitur aut distribuit, quantum dona earum atque munera mereri judicat, vel prout ante statuit hæc illave dona hac illave potestate remunerari. Cogitent jam pii quilibet quibus ecclesiarum reformatio grata est, prudentesque rerum æstimatores, an æquum sit, id velle usurpare contra Christi institutionem quod ab Antichristo originem ducit, vel in præjudicium ecclesiæ velle convertere quod ab ecclesia acceptum est. Perpendant etiam sedulò, an æquum sit, & ecclesiæ Dei decorum, potestatem conferendi munus Pastorale, quod à Potestate spirituali Servatoris nostri originem habet, simul cum Dominio temporali divendere. Simoniam Papisticam meritò detestamur, cogitent (quæso) quantum hoc à Simonia Papistrica absit. An qui jus hoc urgent & retinendum censent, judicarent potestatem Pontificiam, à quà jus hoc derivatum est, in Ecclesia Christi esse agnoscendam, consequenter bona ecclesiastica Monachis & ecclesiasticis Pon-

tificiis

tificiis esse restituenda, ecclesiasticas personas eximendas potestati Magistratuum, Magistratusque redigendos iterum sub potestatem ecclesiasticam Papatus? Non credimus: nec nos hoc cupimus, imò totum hoc ut tyrannicum & Antichristianum detestamur. Quare hæ Papatus reliquiæ potius conservandæ sint quam quævis aliæ?

Rogabit quispiam, An ergo nulla Magistratui hîc competat potestas? Resp. Hoc ante omnia observandum, ut ordo à Christo institutus, quem ex verbo ejus jam monstravimus, salvus maneat & integer; cum nemini liceat quidpiam in eo immutare: ideoque integrum maneat Ecclesiæ, vel ejus rectoribus. ipsa consentiente, jus vocationis Pastorum & Ministrorum Ecclesiæ. Magistratus autem est ordinem illum authoritate sua coactiva sancire, stabilire, munire, ac defendere: ita ut sicubi collapsus est restaurari eum faciat, sicubi vero integrè servatur & exercetur, muniat eum, & adversus perturbatores asserat & defendat. Quod hic agunt Ecclesiarum inspectores opus est curæ, ministerii, & inspectionis: quod verò Magistratus sanciendo, stabiliendo, asserendo, authoritatis est & potestatis coactivæ. Magistratus est munire & tueri non tantum universum ordinem in genere consideratum, secundum totum ipsius: sed etiam singulas ejus partes, ac proinde Pastorem unumquemque, ac ministrum,

strum singularem, in ministerio & functione sua. Illud propriè est supremi Magistratus: hoc verò subalterni, ut vocant, seu subordinati in ditione quacunque sua particulari. Hinc est quod sicut Ecclesia universa totius regionis à supremo illius Magistratu petit approbationem & authorisationem communis sui ordinis Ecclesiastici, ut vim obtineat legis publicæ, eòque plus vigoris habeat in publico: ita particularis quæque Ecclesia à particulari Magistratu suo petat approbari & authorisari vocationem particularis cujuscunque sui Pastoris, aut ministri verbi divini, ut sub illius authoritate in publico fungatur ministerio suo. Sic electio, vocatio, ordinatio Pastoris, quæ functio est ministerialis, formaliter pertinet ad Ecclesiam: approbatio verò & authorisatio respectu publici, quæ functio est authoritativa, & potestatis coactivæ, formaliter ad Magistratum.

Ritè autem hic observandum Magistratibus, sicut submisse etiam rogantur ac seriò ut observare velint, ne quum Ecclesiæ, facta vocatione seu potius electione, ejus approbationem, seu authorisationem, ex fundamento jam posito petunt, authoritate sua & potestate hic abutantur ad Ecclesiarum oppressionem, aut diminutionem potestatis à Christo Iesu Dei filio Capite earum ipsis concessæ: quod fieret, si electionem fidi, inculpatæque vitæ, ac sanæ do-

ctrinæ

ctrinæ vel Pastoris vel Candidati, ab Ecclesia aut Presbyterio, in bonum Ecclesiæ, legitimè sive debito ordine factam, authoritate sua confirmare, & in publico ratam facere detrectarent, idque ex solo suo arbitrio, quia sc: ipsis ita videtur, non data Ecclesiæ aut Presbyterio eligenti negationis suæ ratione. Quum enim, vel Minister Ecclesiæ, vel S. ministerii candidatus, qui Deo & Ecclesiæ se devovit, sanæ, existens fidei & vitæ inculpatæ, ab Ecclesiastico ordinario conventu, prævio examine debito, judicatus idoneus ad ministrandum Ecclesiæ Dei, legitimo ordine ante explicato, ab Ecclesia electus est, is censeri debet nomine & authoritate Christi electus, ideoque illi Ecclesiæ ex Christi constitutione deberi: etiam secundum id quod ipsum Utenbogardum, de ordine à Christo instituto, & in primitiva Ecclesia observato, fatentem & docentem audivimus. Quare electioni illi opponere se, ejusque approbationem simpliciter, quia ipsi ita visum est, denegare Magistratus non potest, mandareque Ecclesiæ, aut ab ea postulare, ut in eo simpliciter acquiescat, quin vim aliquam Ecclesiæ inferat, & ipsam Iesu Christi ordinationem aliqua ex parte lædat. Hoc enim aliud nihil esset quam Christi constitutionem suo subjicere arbitrio, imperium exercere in Ecclesiam, ei injungere cæcam obædientiam, conscientiasque

tiasque

tiasque Inspectorum Ecclesiæ suæ potestati obnoxias reddere. Negotium hoc spectat potestatem Iesu Christi in regno ipsius, sive in domo ipsius & familia, quæ est Ecclesia. Ipse enim *ut filius praest domui suæ, cujus domus nos sumus, si quidem fiduciam & spem illam de qua gloriamur, ad finem usque firmam retinuerimus*. Heb. 3. v. 6. Spectat libertatem, pacem, & tranquillitatem conscientiarum Pastorum, inspectorum, & gubernatorum Ecclesiæ: quippe quibus injunctum est *vigilare pro animabus fidelium, ut pro quibus rationem reddere tenentur*. Heb. 13. v. 17. Quibus mandatum est *attendere sibi ipsi, & toti gregi super quo Spiritus sanctus ipsos Episcopos constituit* Act. 20. v. 28. qui proinde moniti sunt *ut nemini citò manus imponant, ne alienis peccatis communicent* 1. Tim. 5. v. 22. qui *sicut ipsi donum & Ministerium acceperunt per impositionem manuum presbyterii* 1. Tim. 4. v. 14. *ita jussi sunt in Ecclesiis Presbyteros constituere* Tit. 1. v. 5. *quæque audiverunt hominibus fidelibus committere, qui idonei sint ad alios quoque docendos* 2. Tim. 2. v. 2. Hos ergo absque ratione ducere velle ad obsequium arbitrii aliorum, non est aliud quam conscientias illorum, à Christi ordinatione abductas, hominibus obnoxias reddere. Cæcam, quam Ecclesia Pontificia à Magistratibus, ab Ecclesiasticis inferioribus, & à toto populo postulat sibi præstari,

stari, obædientiam, ut Antichristianam tyrannidem meritò detestamur & explodimus: inquum esset, ista tyrannide abrogata & protrita, velle ut, qui à Christo inspectioni & directioni ecclesiarum suarum præfecti sunt, cuiquam in parte aliqua muneris sui cæcam rursum præstarent obædientiam. Si res aliter hic se habet, doceatur hoc ex verbo Dei, aut rationibus inde petitis. Id enim quod jam diximus certissimis rationibus, & evidentissimis Scripturæ testimoniis, nixum arbitramur. Si quis tamen quid habeat in contrarium quod firmum sit & solidum, veritati divinæ cedere paratos nos semper exhibebimus. Verum sicut permittendum non esse dicimus ut conscientiæ Inspectorum Ecclesiæ aliis cæco impetu absque ratione obtemperent: ita nec hoc petimus ut Magistratus Ecclesiæ in omnibus sine certa cognitione pareat. Contrarium enim nunc aliquoties dictum, repetitum, inculcatum est. Sed si Magistratus quid habeat adversus personam electam, sincerè & candidè agat, Ecclesiæ eligenti id significet, eamque errasse doceat: sic alter alterius conscientiam erudiet, non autem aut vi coget, aut cæco impetu secum abripiet. Cavendum autem ne quod electo ad vocationem ejus impediendam objicitur frivolum quid sit aut nugatorium, aut incertum, aut forte hinc inde conquisitum aut vel ab æmulo vel ab adulatore insu-

insusurratum, ne quid hic agatur ex privatis affectibus: sed sanctè, in timore Dei, corde puro, & conscientia intemerata, ut in negotio sancto, cui Deus ipse præest, cujus nomen super eo invocatur, & cui, ut de omnibus, ita præcipuè de animo quo ad tam sanctum negotium accessimus rationem sumus redditurі.

Qui electionem & vocationem Ministrorum ecclesiasticorum Magistratui attribuunt, ut plurimum provocare solent ad exemplum Regis Salomonis Abiatharum sacerdotem summum ejicientis: de quo legere est 1. Reg. 2. v. 26. 27. *Ad Abiathar sacerdotē. dixit Rex* (Salomon) *In Anathoth vade ad agros tuos, quia vir mortis es: verum hodie non interficiam te quia portasti arcam Domini Iahovæ ante Davidem Patrem meum: deinde quia afflictus fuisti in omnibus in quibus afflictus fuit pater meus: Et ejecit Salomoh Abjathar ne esset sacerdos Iahovæ.* Ex hoc enim loco colligunt. Si depositio vel ejectio sacerdotis, aut ministri ecclesiastici pertinet ad Magistratum, etiam electionem vocationem & institutionem ejus ad Magistratum pertinere. Sed observandum. 1. Exemplum esse prorsus extraordinarium & singulare, cui simile non reperitur in tota S. historia. Una autem hirundo (ut communi dicitur proverbio) non facit ver: nec unum singulare exemplum generalem regulam. 2. Summum

mum sacerdotem à summo Magistratu, Rege vid: fuisse ejectum, quod perperam trahitur ad potestatem Magistratuum subordinatorum in electione & vocatione Pastorum in singulis Ecclesiis inter se æqualium. Nusquam enim legas in S. literis reliquos Sacerdotes aut Levitas, à Magistratibus in aliis urbibus, in quibus illi degebant, vel institutos vel ejectos fuisse. Strictè enim inhærendum erat ordinationi divinæ supra memoratæ de successione Sacerdotum & Levitarum. 3. Ejectionem fuisse & relegationem politicam non depositionem Ecclesiasticam. Prius de relegatione politicâ planum est ex verbis ipsius Salomonis *Vade in Anathoth ad agros tuos quia vir mortis es*: quibus Salomon Abjatharo, ut subdito suo, qui politicè in ipsum deliquerat, & crimen Majestatis læsæ, morte ipsa dignum, commiserat, pœnam subeundam denunciat: attamen pœnam crimini inæqualem & clementiâ suâ mitigatam, propter officia & fidelitatem patri suo præstitam, & honorem sacerdotio debitum. Unde & planum fit posterius, sc: non fuisse depositionem Ecclesiasticam; quia verba ipsa Salomonis nil præter pœnam & relegationem politicam indicant. Sed opponet aliquis verba Prophetæ historici rem istam historicè hic narrantis, qui ait vers.27. *Et ejecit Salomoh Abiathar ne esset Sacerdos Iehova.* Resp. Non indicari

R à Pro-

à Prophetâ illo privationem muneris sacerdotalis Ecclesiasticam, quasi Salomoh authoritate sua regiâ Abiatharum privasset munere & dignitate sacerdotali, quæ ipsi, ex divina ordinatione, successione hæreditaria competebat: (contrarium enim docet nos ille ipse Propheta eod. 1. libr. Reg. cap. 4. vers. 4. ubi inter Principes populi Israelitici, Salomone tum in regno confirmato, recensentur Sadoc & Abiathar sacerdotes:) sed significari solummodo necessarium consequens istius relegationis, quod vid: Abiathar, utpote in agros Anathoth relegatus munere suo sacerdotali, in tabernaculo Ierosolymis constituto coram Iehovah fungi non potuerit. Docet ergo Propheta historicus qui factum quod Abiathar in tabernaculo deinceps non ministrarit nec obtulerit, quia scilicet, ob grave suum crimen Ierosolyma expulsus, & à loco cultui divino consecrato ejectus esset. 4. considerandum est, Exemplum illud nihil facere ad hanc rem. Nam illud exhibet quempiam ob delictum politicum, & quidem grave satis, politicè punitum tali pœna quæ ipsum necessariò arceat à publico cultus divini ministerio: nobis autem hic sermo est de electione & vocatione ministri probi, fidei, vitæ, ac famæ integræ, deque iis quibus jus electionis, vocationis, & institutionis istius ex ordinatione divina competit. Nemo autem nostrum de eo dubitet

bitet quin liceat Magistratui summo ministrum ecclesiasticum, qui graviter in rempublicam, aut in ipsam supremi Magistratus majestatem, deliquerit, tali punire pœna politica per quam prohibeatur ab actuali functione ministerii sui: uti nec de eo dubitandum, quin & conventus Ecclesiastici in illum disciplina Ecclesiastica animadvertere debeant, in conversionem & salutem animæ ipsius, imò etiam resipiscentem, quamvis cum Ecclesia reconciliatum, ad tempus aliquod scandali causa à functione muneris sui suspendere. Ita uterque ordo faciet quod sui est officii: Magistratus exercendo vindictam politicam, conventus Ecclesiasticus disciplinam Ecclesiasticam: & quidem uterque fine suo sibi conveniente ac proprio. Magistratus vindictæ & publicæ tranquillitatis causa, conventus autem Ecclesiasticus conversionis ministri delinquentis procurandæ, & scandali removendi, gratia

Verum in hoc non conquiescunt qui nobis hac in causa obloquuntur. Ab illo enim Abjatharo transeunt ad Sadochum, authoritate ejusdem Salomonis ipsi substitutum, ut videre est 1. Reg. 2. vers. 36. *Posuit verò Rex ipsum Benajahu filium Iehojada pro Ioabo super exercitum: & Sadoch sacerdotem posuit Rex pro Abjathar.* Quod exemplum putant directè probare, potestatem eligendi & constituendi ministrum Ec-

clesiasticum competere Magistratui. Sed in isthoc exemplo (ut bene monuit beatæ memoriæ vir Clarissimus D. VValæus) observandum, Salomonem non fecisse, ordinasse, constituisse sacerdotem. Sacerdotium enim Sadoco competebat vi constitutionis divinæ, utpote ex Aarone progenito, quam constitutionem divinam nemini, vel Regi quidem, infringere, aut aliqua ex parte imminuere licebat. Quare ordo divinus, & progenies, Sacerdotium tribuebant Sadoco. Sed Salomonem elevasse tantummodo Sadocum in summum Sacerdotii gradum. Ex illo igitur exemplo nihil aliud, ut summum, concludi posset, quam Supremum Magistratum iis in locis in quibus obtinet inæqualitas inter ministros, posse ex ministris, Ecclesiasticè vocatis & ordinatis, quempiam in altiorem locum evehere: non autem posse ipsum ministros ecclesiæ eligere, vocare, ordinare, aut Ecclesiæ præficere. Hoc tamen ipsum non fecit Salomõ suo arbitrio, regiâ suâ in rebus ecclesiasticis architectonicâ potestate, sed ex jure quod ipsi Sadoco debebatur. Nam etiam ante Abjatharis ejectionem præcipuus, reliquis superior, & primus erat inter Aaronitas, sive inter posteros & nepotes Aaronis, ut disertè Scriptura testatur. 1. Paral. 27. vers. 17. quam ob causam sæpè Abjatharo in dignitate sacerdotali adjungi solet, ut 2. Sam. 20. vers. 25.

1.Paral. 18. verf. 16. & 24. verf.31. & alibi. Primus autem ille & præcipuus, summo sacerdote decedente, in ipsius debebat locum substitui: quare & vivente sacerdote summo ipsius erat quasi vicarius, ita ut illo, vel immunditiâ, vel morbo laborante, aut alias legitimè impedito, loco illius intraverit in sanctum sanctorum: ut ex antiquis scriptoribus Iudaicis docet vir summus, & omni exceptione major, *Iosephus Scaliger* in Prolegomenis suis Chronico Eusebii præpositis. Ipso igitur jure, cujus vindex & conservator erat ipse Rex, honor iste summi sacerdotii Sadocho debebatur. Quare isthac in causa nil aliud egit Rex Salomon quam quod, ratione muneris sui Regii, agere tenebatur, nimirum ut custodem se ac vindicem ordinis divini, & juris quod unicuique competit, exhiberet.

Addunt adhuc aliud sed quod tantæ non est authoritatis, utpote ex historia humana, & ex gestis Imperatorum turbulento satis seculo editis, desumtum: *Nimirum Imperatores interdum ipsos Pontifices Romanos ejecisse sedibus suis:* quod tamen nobis non exiguæ authoritatis esse debet, quippe à nostris productum ad impugnandam Romanorum Pontificum arrogantiam, & potestatem ecclesiasticam Imperatoriæ seu Politicæ potestati non obnoxiam. Sic enim contra illam Ecclesiastico-Pontificiam potestatem argumentantur nostri.

Christiani Imperatores sæpe judicaverunt ac deposuerunt Pontifices. Nam Constantius in exilium misit Liberium Papam, Iustinus Sylverium, Theodoricus Rex Ioannem primum in carcerem conjecit, &c. Pontificii respondent, & inter illos Bellarminus lib. 2. de Pontifice Rom. cap. 29. *Hæc quidem facta sunt, sed quo jure ipsi viderint. Certè Liberium injuste pulsum in exilium testatur Athanasius in Epist. ad solit. vitam agentes. Idem de Sylverio Liberatus in Breviario cap. 22. Et certum est Constantium ac Theodoricum Arianos, Iustinianum Eutychianistam fuisse. Itaque non magis mirum est quod hæretici Principes Christianos Pontifices deposuerint tyrannico jure, quam quod Ethnici Imperatores eosdem passim occiderint.*

Ad istam Pontificiorum exceptionem respondent nostri, & inter alios D. Chamierus, vir insignis, & Theologiæ Reformatæ contra Pontificios defensor acerrimus, in Panstratiæ suæ Catholicæ tom. 2 libr. 14. cap. 11. *Hæc eo jure facta esse quo Imperatores præerant Pontificibus: eodem sc: jure quo olim Constantinus Magnus jussit Arium exulare, & Eusebium, & Theognin apud Socratem lib. primo cap. quinto; & postea Athanasium cap. 23. item Constantius ter Paulum electum Episcopum Constantinopolitanum lib. 2. cap. 5. 12. & 21. Denique quo Gratianus Demophilo Ariano dixit libr. 5.*

cap. 7.

cap. 7. Si pacem & concordiam fugis, fugere te jubeo ab oratoriis locis. *Ne alia colligam infinita exempla, quibus sit manifestum tum temporis sua authoritate usos palam & promiscuè in quosvis Episcopos & abdicandos & in exilium pellendos. Itaque* (inquit porro idem Chamierus) *nihil est novi quum dicuntur Liberius, Sylverius, Ioannes injustè pulsi. Nam quis nescit Imperatores sæpe abuti authoritate? Nemo sanus, neget injustè etiam Athanasium factum exulem à Constantino primum, deinde à Constantio: alios etiam Episcopos, tum ab hoc, tum ab aliis. Sed non sequitur ex eo quod quis injustè facit, propterea non habere authoritatem faciendi: hoc enim sequitur duntaxat, abuti eum authoritate sua.* Et tandem concludendo ait. *Malè ejectos Liberium, Sylverium, Iohannem: Sed male quia causa in iis nulla erat exilii: non quia in Imperatoribus nulla esset authoritas.*

Hæc responsio Orthodoxorum admodum videtur labefactare sententiam nostram hoc capite explicatam. Quare dubitari vix potest quin D. Nicolaus Vedelius eam allegaverit in præfatione libelli sui de Constantini Magni Episcopatu, ut viam sibi præmuniret ad opinionem suam in thesi quartâ Disputationis suæ expressam, vid: *Vocationem Pastorum ad potestatem Magistratus pertinere, non tantum objectivè, sed etiam formaliter,* tutò proponendã: quam-

vis videatur eo solum fine produxisse ut doceat abusum potestatis potestatem ipsam non tollere. Consideranda ergo paullo propius venit ista responsio. Docuimus in præcedentibus Magistratus esse Ecclesiam, ut regnum Christi spirituale, cum toto ipsius ordine in ditionem suam admittere: sed Ecclesiam veram, quia nulla alia pro regno Christi haberi debet. Reliquæ enim, quæ Ecclesiæ quidem nomen prætendunt, sed à veritate verbi divini aberrantes ut veræ Ecclesiæ nomine indignæ sunt, ita pro Synagogis potius diaboli quã pro Ecclesiis Christi sunt habendæ: Ecclesias autem falsas, quia falsos Dei cultus invehunt & provehunt, vel arcere ne in ditionem suam se ingerant, vel ex ea exterminare pro virili sua tenetur Magistratus. Quicquid enim ad promotionem gloriæ divinæ, & subditorum spirituale bonum facere potest, authoritate sua promovere tenetur; quicquid verò ei repugnat, vel arcere, vel expellere è ditione sua: sicut Pastorum & inspectorum est Ecclesiæ Christi, quicquid ad veram religionem spectat, & ad Ecclesiæ ædificationem, è verbo Dei in Ecclesia ipsius ministerio suo constituere, alere, confirmare; quicquid verò ei contrariatur, ab ea arcere vel ex ea ejicere. Id si faciunt Magistratus, benè utuntur potestate sua coactiva in regno Dei universali, in ditione & Republica sua. Hoc si faciunt

Pasto-

Pastores & inspectores Ecclesiarum, benè funguntur munere & ministerio suo in regno Christi speciali, in Ecclesia. Secus si faxint, & hi & illi graviter peccant. Illi fidos Christi ministros, & cum illis veram doctrinam, cultumque Deo debitum, adeòque & Christum ipsum, in ministris & in doctrina ipsius ejiciendo è ditionibus suis: hi Ecclesiam Christi privando salubri verbi divini pabulo, & doctrinam ejus adulterando. Hinc factum quod Pastores & inspectores Ecclesiæ agnoscendo veram Iesu Christi Filii Dei Servatoris nostri Deitatem, eamque fideliter tradendo; & adversarios illius, Deitatem istam negantes, ab ovili Christi arcendo, fideles se præstiterunt servos Domini sui, fidosque mysteriorum ipsius oeconomos: è contrario autem eam vel negantes, vel in dubium trahentes, & ambiguis atque obscuris loquendi rationibus obscurantes aut involventes; fidos autem æternæ Deitatis Christi, Domini & Servatoris sui testes, præcones, ac defensores, Ecclesiasticè arcentes & ejicientes, infidos se Domino suo, quin & hostes ac proditores Domini sui se præbuerunt. Magistratus autem summi, sive Imperatores, Orthodoxos Doctores & fidos Christi ministros authoritate sua & potestate coactiva in ditiones suas introducentes, aut adversus vim omnem ac machinationes defendentes, Deo & Filio ejus morigeros se præ-

 buerunt:

buerunt: eosdem verò expellentes è ditionibus suis, & sua potestate in exilium conjicientes, summæ in Deum contumaciæ reos se fecerunt. Utrique ergo sua præditi sunt potestate, & Magistratus, & Pastores, sive Rectores Ecclesiæ. Illi in regionibus, regnis, rebuspublicis suis: hi in suis singuli Ecclesiis. Illi bonum unumquodque promovere debent in subditis, & inter subditos suos, potestate sua coactiva, pro ratione vocationis suæ, efficereque ut ab aliis pro ratione vocationis ipsorum promoveatur: hi verò bonum spirituale in Ecclesiis potestate sua Ecclesiastica, ministerio sc: Clavium regni cœlorum. Illi immediatè subsuut Deo ut Regi universali, qui distribuit regna & dominia pro absoluta potestate sua: hi Christo ut summo Pastori & Regi spirituali ecclesiæ suæ. Illi expellere possunt è ditione & regno suo, & mittere in exilium, aut detrudere in carcerem, aut capite multare: non autem possunt ejicere ex ecclesia è regno Dei. Hi verò è regnis, è rebuspublicis, ejicere non possunt, sed è regno Christi, ex ecclesia, & arcere à communione mysteriorum Dei. Si quos illi è ditionibus suis, & hi ex ecclesia, justè ejiciunt, ii meritas delicto suo pœnas subeunt: adeoque, nec reipublicæ à quâ exulant, nec ecclesiæ Dei, membra haberi aut dici possunt. Hoc tamen discrimine, quod qui ex una ejecti sunt republica, in aliam recipi

recipi possint; qui verò ab una particulari ecclesia sunt excommunicati, à nulla alia recipi aut admitti possint, nisi vera conversione ecclesiæ quam læsere satisfaciant. Causa discriminis est, quod qui in unam peccat rempublicam, non statim peccat in omnes; quia diversis utuntur regna & respublicæ, pro statu & conditione quælibet sua, legibus & privilegiis: sed qui in unam peccat ecclesiam particularem, peccat in omnes simul, eò quod omnes membra sunt unius corporis mystici, quod est ecclesia catholica per totum orbem dispersa, cujus unicum caput est Christus, adeoque unius fidei, pietatis, cultusque divini vinculo inter se unita: prout Apostolus docet Eph. 4. vers. 4.5.6. *Vnum esse corpus, & unum spiritum, sicut fideles omnes vocati sunt in unam spem vocationis ipsorum*; *unum quoque esse Dominum, unam fidem, & unum baptismum, unumque Deum & Patrem omnium*, &c.

Ergo ad legitimam Pastorum & Episcoporum, vel ex Ecclesia, vel è Republica, ejectionem duo requiruntur, justa sc: causa, & legitima potestas. Iusta causa est vel impura à verbo Dei deflectens doctrina, vel vita improba prout vel Ecclesiam utraque lædit vel Rempublicam. Potestas legitima ejiciendi è Republica est penes Magistratum; ex ecclesia verò penes alios Pastores & Inspectores Ecclesiarum, in suis legiti-

mnis & benè constitutis conventibus. Sit ergo justa ejiciendi causa, desit verò legitima potestas, illegitima erit ejectio: Sit potestas legitima, desit autem justa causa, rursum injusta erit & culpanda ejectio. Magistratus igitur etiam justa de causa ejiciant illos ex Ecclesia; Ministri verò in suis conventibus Ecclesiasticis è Republica, ambo peccabunt, illegitima usurpatione potestatis non suæ. Rursum Magistratus ejiciant illos è republicâ, Ecclesiastici verò conventus ex Ecclesia, sed ambo non justa de causa, itidem peccabunt, non quidem usurpatione potestatis alienæ, sed abusu potestatis suæ.

Videatur jam unde injustitia ejectionis, Episcoporum istorum (quos Bellarminus, & alii, Pontifices vocant) æstimanda sit. Pontificii, & inter illos Bellarminus, eam ex defectu potestatis arguunt. Nostri, & inter eos D. Chamierus, non ex defectu potestatis, sed ex defectu causæ. Chamierus enim loco jam allegato Paragr. 38. dicit, *Ejecit Constantinus Arium, Theognin, Eusebium, hæreticos: ejecit & Athanasium. Confer utrimque ejiciendi authoritatem, potestatemque eandem invenias: & tamen justè illi, hic contra ejectus est. Qui fit? Non sane quia in Athanasio deficeret potestas qua in reliquis sufficiebat. Sed quia, quum æquè Athanasii judex esset Imperator ac reliquorum: tamen Athanasii nullum crimen erat,*

& erat

& erat aliorum. Sic de his respondeo: Malè ejectos Lyberium, Sylverium, Iohannem: sed malè, quia causa in illis nulla erat exilii, at non quia in Imperatoribus nulla esset authoritas. Concedo, & assentior responsioni D. Chamieri. Agit enim de ejectione, non Ecclesiastica, sed Politica. Quod manifestum & consideranti tum præcedens caput decimum cum isthoc undecimo, tum ista ipsa verba D. Chamieri. Nam quoad duo ista capita, D. Chamierus, probaturus contra Pontificios Episcopum Romanum ab alio judicari posse, idque ex eo quod sæpè ab aliis sit judicatus, argumentum istud probationis suæ ad duo capita revocat; quorum prius est de Ecclesiastico ordine, alterum de Politico. Cum ergo capite decimo ostendisset Romanum Episcopum sæpius ab Ecclesiastico ordine fuisse judicatum Ecclesiasticè; dein capite undecimo docet à Politico ordine judicatum fuisse politicè. Quid autem inter Ecclesiasticum & Politicum judicium intersit, in præcedentibus est explicatum, vid. Ecclesiastico judicio judicari Episcopum aut Pastorem Ecclesiæ, cujus vel doctrina vel vita functioni non respondet, functione Ecclesiastica indignum, ideoque illa privandum, & ab ea removendum, adeò ut ipsi eam obire in Ecclesia non liceat: Politico autem, utpote quo judicatur quæ doctrina in publico doceri, quæque religio publi-

publicè exerceri debeat, & quid ad publicam tranquillitatem faciat, tali permittendum non esse ut publicè in templis publicis doceat, seu religionem publicè exerceat, adeoque turbas in publico excitet. Istud discrimen observavit D. Chamierus, cum in principio capitis decimi judicium Ecclesiasticum à Politico distinxit. Deinde ipsa illa verba D. Chamieri, & exempla ab ipso allegata, non nisi Politicum judicium, & politicam ejectionem indicant. De exilio enim in omnibus loquitur, quod pœnam esse Politicam omnes novimus. Dicit enim *Constantinum Magnum jussisse Arium exulare, & Eusebium, & Theognin: item Constantium ter idem jussisse Paulum electum Episcopum Constantinopolitanum: Denique Gratianum Demophilo Ariano, Si pacem & concordiam fugis, fugere te jubeo ab oratoriis locis. Ne colligam* (inquit) *infinita exempla quibus sit manifestum tum temporis Imperatores sua authoritate usos palam & promiscuè in quosvis Episcopos abdicandos, & in exilium pellendos. Itaque nihil est novi quum dicuntur Liberius, Sylverius, Ioannes injustè pulsi.* De expulsione ergo in exilium loqui, ut præcedentia docent, ita & hæc sequentia confirmant, cum ait; *Nemo sanus neget injustè etiam Athanasium factum exulem. à Constantino primum, deinde à Constantio,* &c. Quare ut supra diximus, ita & hîc rursum dicimus, è Po-

è Politica ejectione in exilium malè colligi electionem, vocationem, & institutionem Ecclesiasticam: sive ex authoritate Politica, qua Imperatores, tum hos, tum illos Episcopos in exilium pepulerunt, nulla ratione sequi Magistratibus competere Ecclesiasticam Pastores aut Episcopos eligendi, vocandi, & in Ecclesiis constituendi potestatem. Attamen in exemplis memoratis, quibus Politica illa potestas Imperatorum confirmatur, rectè docet idem D. Chamierus, quod & historiæ passim testantur, Imperatores sæpe abusos esse potestate ista sua. Quare sicut abusum à potestate, & potestatem ab abusu: ita & potestatem Politicam ab Ecclesiastica, & rursum hanc ab illa distinguimus. Accedit quod exempla ista producant Reformati contra Pontificios, qui Pontificem suum, ut ab Ecclesiastica, ita & Politica potestate immunem & solutum volunt: ita ut si, vel Ecclesiasticè, vel Politicè peccet, vel quocunque modo se gerat, à nulla potestate judicari coerceri possit. Quod certè admodum iniquè trahitur ad evertendum ordinem nostrum, quo fatemur Pastores utrique judicio, & Politico, & Ecclesiastico, subjectos esse, prout, vel Politicè, vel Ecclesiasticè peccant; modò uterque ordo suis se contineat limitibus. Multò iniquius convertitur ad turbandum ordinem Ecclesiasticum, quo, ex Christi ordinatione,

Pasto-

Pastores & Inspectores Ecclesiarum ab Ecclesia ordine Ecclesiastico eliguntur, vocantur, & instituuntur.

CAP. XIX.

Vindicans considerationes meas ad quæstionem D. Vedelii quintam, ubi de Iudiciis Ecclesiasticis aliquid dicitur.

VIdimus in præcedentibus Potestatem Magistratus circa res Ecclesiasticas in genere, progressique ad speciales functionis Ecclesiasticæ partes, egimus capite proximo de haud minima curæ Ecclesiasticæ parte, quæ consistit in electione, & vocatione, ac ordinatione Pastorum & ministrorum Ecclesiasticorum. Sequitur ut ad alia progrediamur quæ pertinent ad conventus Ecclesiasticos, sive ad ea quæ in conventibus illis agi & tractari solent: judicia sc: de Religione & Causis Ecclesiasticis, exercitium disciplinæ Ecclesiasticæ, & lationem legum, sive canonum Ecclesiasticorum: quo spectant quæstiones D. Vedelii quinta, septima, octava, ac denique sexta, ad quas quia in extemporaneis meis considerationibus aliquid annotaveram, operæ pretium erit ostendere me considerationes istas haud temerè, sive non absque causa, protulisse.

Quæstio

Quæstio D. Vedelij quinta est, *An ad Magistratum pertineat judicium de Religione, & Controversiis fidei, & causis Ecclesiasticis?* D. Vedelius respondet hac propositione. *Non solum ad Pastores & Doctores Ecclesiæ, sed etiam ad Magistratum pertinet judicium de Religione, seu rebus fidei, & causis Ecclesiasticis, unicè ex verbo instituendum: & quidem ad eum pertinet, tum formaliter, tum objectivè.* Clausula hæc, & adjecta explicatio, propositionem illam facit bimembrem. Prius membrum est *Iudicium de religione, &c. pertinere ad Magistratum formaliter.* Assentimur, si eo sensu dicatur, quo judicium de Religione Magistratui, quà tali, competere cap. 6. docuimus, in cujus majorem illustrationem ipsius Grotii distinctionem & explicationem attulimus. Verum ut D. Vedelius prius istud membrum propositionis illius suæ Magis intelligi faciat, judicium circa res Religionis & Ecclesiæ triplex exhibet, *discretionis sc: definitionis, & executionis.* Videamus quibus unumquodque illorum tribuat. *Iudicium discretionis* (inquit) *sc: quo discernitur inter veram & falsam religionem pertinet ad omnes homines; adeoque etiam consequenter imo magis ad magistratum, idque omni tempore, speciatim ante Synodum, in Synodo, & post Synodum.* Addo ego, adeoque etiam consequenter, imò magis, ad Pastores & Rectores ecclesiæ. Ad omnes

sc: &

sc: & singulos homines illud pertinet, ut judicent quam Religionem amplecti, & coram Deo exercere debeant, in nominis divini gloriam, suamque salutem. Ad Pastores & Inspectores ecclesiarum, ut judicent quam religionem docere & exercere debeant in ecclesia, & quo modo, secundum quam normam, regere debeant Ecclesias fidei suæ concreditas. Ad Magistratum denique, ut judicet quam religionem in ditionem suam admittere debeat, efficereque authoritate sua coactiva ut in publico exerceatur. *Iudicium* quod vocat *definitionis*, sive definitivum, *dicit ab Orthodoxis ita vocari per accidens, nimirum respectu verbi Dei, cui per se unicè judicium definitivum competit.* Quomodo verbo Dei judicium definitivum ab Orthodoxis tribuatur, exponitur in disputationibus contra Pontificios. Omnes omnino homines, privatos non tantum, sed & publico munere, tum Ecclesiastico, tum Politico, fungentes, verbo Dei subesse novimus, omneque illorum judicium de Religione, sive privatum, sive Ecclesiasticum, sive Politicũ illi conformari debere docemus & inculcamus. Quod judicium pronunciat è verbo Dei, id ut verum & sanum ubivis obtinere debet: quod verò præter aut contra illud pronunciat, rejici meritò ac repudiari. Verum an propterea definitivum judicium per accidens dici debet? An non qui, juxta potesta-

potestatem à Deo sibi factam, ex verbo ejus de Religione judicat, per se judicat? Certè nec potestas ex qua partes sibi sumit judicandi, sive privatim si privatus est, sive Ecclesiasticè si Ecclesiasticus est, sive Politicè ab bonum reipublicæ suæ si Magistratus est, ipsi competit per accidens: Nec verbum Dei judicat per accidens: Nec sanum quod è verbo Dei, lumine verbi illius ac Spiritus S. illuminatus, desumit & depromit, judicium est per accidens. Dicamus ergo potius judicium esse ministeriale. Quia omnes quotquot sunt, & quales sunt non tantum privati & Ecclesiastici, sed etiam Magistratus, Deo ut Domino suo, verboque & judicio verbi ipsius, ut Domini sui verbo submittere se debent. Quod omnibus, tum Politicis, tum Ecclesiasticis, ritè est observandum. Verum qua de causa judicium hoc discernitur à judicio discretionis? An non discretionis (quod vocatur,) judicio privatus definitivè judicat quænam Religio ipsi privatim sit exercenda? Pastor, quænam Ecclesiæ tradenda? Magistratus, quænam in publico admittenda, & authoritate ipsius sancienda? Forte judicium discretionis alteram faciet præmissarum, minorem sc: propositionem Syllogismi judicialis practici: definitionis verò sive definitivum judicium faciet conclusionem. Age, fiat.

Sed ad quem pertinet judicium definitivum?

tivum? Vedelio judice, *convenit illud Magistratui, & in Synodo, & post Synodum. In Synodo ita ut habeat suffragium decisivum æquè ac Doctores Ecclesiæ.* Quis hoc docuit D. Vedelium, aut quo nititur assertio ista Vedeliana fundamento? An Politicè judicabit Magistratus in Synodo, an verò Ecclesiasticè? Si politicè: ergo & Ecclesiæ doctores, qui cum illo judicabunt, judicabunt Politicè, ac proinde politica pollebunt potestate; synodusque, in qua judicabunt ut illius membra, conventus erit, non Ecclesiasticus, sed politicus. Si Ecclesiasticè, jam Magistratus Ecclesiasticam induerit personam, adeoque simul erit & Politicus & Ecclesiasticus. Sic se rursum prodet portentosum Magistratus supremi sceptrum, à D. Vedelio in præfatione libelli ipsius Magistratui in manus datum, quod Vid. duos habet apices, Politicum alterum, alterum Ecclesiasticum.

Verum & Pastoribus ac gubernatoribus Ecclesiarum competit in Synodo judicium de Religione & causis Ecclesiasticis. Nec quisquam hoc negare potest. Rogo autem qua ratione? quo ordine? qua potestate? Ecclesiasticane an Politica? Quid quæso fiet in Synodo? An politia migrabit in Ecclesiam, an verò Ecclesia in rempublicam. Quapropter in consideratione mea ad quæstionem istam quintam quæsivi: Quum judicium de Religione, controver-

siis

siis fidei, & causis Ecclesiasticis pertineat ad Pastores & Inspectores Ecclesiæ, an non explicandum sit quo modo & sensu ad illos pertineat: an ut ad delegatos à Magistratu; an verò ut cum Magistratu collaterales, in eadem potestate cum illis positos; an denique ut ad Christi ministros. Monui etiam ut consideretur quantum præjudicium hinc possit creari Ecclesiæ Dei nisi hæc ritè explicentur. Itaque rogavi an non ad thesis illius, quæ responsionem D. Vedelij ad quæstionem quintam continet, limitationem & explicationem addi debeat, ut ad tutorem & defensorem Ecclesiæ, sc. pertinere judicium de Religione, &c. ut nimirum Magistratus certò sciat se veram Religionem & veram Ecclesiam defendere? D. Vedelius respondet, *Istam limitationem, seu explicationem, argumentum continere ex quo evincitur Magistratum debere judicare de rebus fidei.* Rectè (inquam) unde patet nos non velle Magistratum facere cæcum executorem judicij Ecclesiastici. Sed addit. *Se illam explicationem, seu argumentum, haud obscurè expressisse, quando in responsione ad quæstionem illam ibidem dicit, Magistratui competere judicium de rebus fidei, quando Ecclesia de errantibus, vel Hæreticis apud Magistratum conqueritur, ut custodem ac vindicem legis divinæ; quæ verba* (inquit) *sunt ἐμφατικώτατα, & includunt consequenter id quod in Con-*

in Consideratione dicitur. Nam (inquit) *si judicat ut custos & vindex legis divinæ, ergo etiam ut defensor Ecclesiæ.* At nec sic satisfacit. Nam judicium, de quo in hac responsione ad Considerationem meam loquitur, attribuit Magistratui post Synodum: nos autem difficultatem ipsi movemus de judicio quod Magistratui tribuit in Synodo, & petimus adhuc ut istam, si potest, difficultatem tollat.

Ad quæstionem qua quæsivi, quomodo igitur judicent Pastores? respondet. *Hanc quæstionem pertinere ad discrimina officii Pastorum & Magistratuum in gubernatione Ecclesiæ, quæ octodecim esse dixit in Conclusione, brevitatis autem causa* (ut ait) *non potuit enumerare.* Hic tribuit Magistratibus officia in gubernatione Ecclesiæ. Sed gubernatio Ecclesiæ non competit nisi illis quos Christus in Ecclesia sua Rectores & gubernatores constituit. Doceat autem D. Vedelius inter illos esse Magistratus. Certè octodecim discrimina, quæ dicit esse officii Pastorum & Magistratuum in gubernatione Ecclesiæ, enumerari nobis percupimus. Si visum fuisset D. Vedelio ea nobis recensere, fortè explicatiorem multò haberemus ipsius sententiam. Verum brevitatis causa non potuit enumerare. Itane brevitatis studiosus fuit, ut illa discrimina, quæ tam multum potuissent conferre ad totius disputationis istius elucidatio-

cidatio-

cidationem, breviter monstrare non potuerit? Nobis certè & multis judiciosis hoc non fit verisimile. Nam si brevitas quæ in disputatione Academica requiritur id fortè non permiserit, Dissertatio certè Theologica (cujus titulo disputatio ista nunc prodit) præsertim tam prolixa & virulentâ præfatione aucta, additionem illam non respuisset. Inter alia autem discrimina utriusque officii hoc esse dicit. *Quod etiamsi & Magistratus, & Pastores, judicent de rebus fidei, tamen in eo differunt, quod Magistratus judicat ut judex, qui custos est utriusque tabulæ legis, gladio corporali armatus, & potestate coactiva externa, adeoque (ut rectè dicitur in Consideratione) ut defensor Ecclesiæ: Pastores autem ut Ministri Christi & Ecclesiæ, vocati ad docendum in Ecclesia, seu ut custodes utriusque tabulæ legis, gladio ministeriali ac spirituali verbi divini, & potestate coactiva spirituali nomine Christi instructi.* Rogo. An qui gladio corporali & potestate coactivâ externâ armatus est, quà talis, sit in Ecclesia? An ergo Deus gladium corporalem & externam potestatem coactivam dederit in Ecclesia? Si non quo pacto Magistratui competit gubernatio Ecclesiæ, & judicium de causis ecclesiasticis in Synodo? Velim D. Vedelius hoc ritè perpendat, & consideret discrimen à nobis supra cap. sexto indicatum. Addit, *Adeoque non judicant Pasto-*

res

res ut delegati â Magistratu, quam sententiam Arminianorum (inquit) *expressè & procul rejeci in proœmio: neque etiam judicant nomine & titulo invidioso Collateralitatis, quo illi Ecclesias nostras odiosas reddunt.* Attamen (dico) cum Magistratus, juxta Pastores, & cum Pastoribus, definitivum de rebus ecclesiasticis in Synodo ferunt judicium, collateraliter cum eis judicant. Nam sive Magistratus ferant cum Pastoribus & Inspectoribus judicium Ecclesiasticum: sive Pastores cum Magistratibus Politicum, quandoquidem ambo judicium ferunt definitivum, æquali potestate hi cum illis, & illi cum his, judicant. *Quamvis* (ait porro) *si adversarii Collateralitatem vocent quod & Pastores & Magistratus in regimine Ecclesiæ Dei quoad ordinem externum suo modo conveniunt, id ferre cogimur, prout prudenter D. Walæus alicubi loquitur.* Rursum regimē ecclesiæ Magistratui datū, attamē cum limitatione (*suo modo*) quæ limitatio nullos ponit limites. D. Walæus non dicit idem cum D. Vedelio. sed quum in prima parte Tractatus sui ostendisset discrimen esse inter officium Magistratus & Ministrorum ecclesiæ; monstraturus quousque officium ministrorum officio Magistratus subjectum sit, statim post initium istius secundæ partis, positis Magistratui limitibus in exercitio potestatis suæ circa res ecclesiasticas, tandem in hæc

hæc verba profatur. *Sed hoc etiam dicimus, Ministros sive Pastores Ecclesiæ Christi, non esse vicarios hominum, sed Ministros Christi, & à Christo spiritualem potestatem ac mandatum accepisse, ut veritatem, totumque cultum divinum, & consequenter Ecclesiam Christi, spiritualibus quibuscunq; medíis tueantur: quemadmodum Magistratus ad id corporalem potestatem & authoritatem acceperunt. Ac proinde & ipsis à Deo curam spiritualem demandatam esse, qua curent ne Magistratus hac in parte potestate sua abutantur, sed eam componant juxta solam Iesu Christi constitutionem, & non aliam: eaque de causa sub Christo, & nomine Christi, spirituales esse custodes juris Ecclesiæ, adeoque ipsius Ecclesiæ Iesu Christi, quamvis in rebus adiaphoris libenter cedere debeant suis Magistratibus.*

Audivimus D. Vedelium tribuentem Magistratui judicium decisivum de rebus ecclesiasticis in Synodo. Tribuit eidem quoque *illud judicium post Synodum, quando, aut à parte condemnata querela defertur ad Magistratum; aut Ecclesia de errantibus vel Hæreticis apud ipsum conqueritur, ut custodem ac vindicem legis divinæ, Hæretici autem apud ipsum se defendere conantur.* Rursus declarandum hic esset, an judicium istud ecclesiasticum sit, an verò Politicum. Si ecclesiasticum, potestas summa ecclesiastica iterum defertur Magistratui: quod

hactenus aliquoties reprehendimus. Si Politicum, politica deberet esse qnæstio de quâ judicandum esset Magistratui. Duæ autem hic à D. Vedelio ponuntur quæstiones aut querelæ ad Magistratum deferendæ, altera à parte in Synodo condemnata, altera ab Ecclesia de errantibus, aut Hæreticis, apud magistratum conquerente. Prior alia esse non potest quam quà pars condemnata apud Magistratum conqueratur se injustè à Synodo, falsæ doctrinæ, aut improbæ & scandalosæ, (ut ita loquar) seu scandalum præbentis, vitæ condemnatam esse, adeoque, vel fuuctione ecclesiastica, vel communione Ecclesiæ, indignam habitam. Hæc quæstio non potest esse nisi ecclesiastica. Posterior alia non datur quam quà Ecclesia conqueritur apud Magistratum de vi ab errantibus aut hæreticis ecclesiæ illata, quippe qua, non obstante vel depositione vel excommunicatione ecclesiastica, errantes aut hæretici se in Ecclesiam ingerant; quam proinde vim à magistratu potestate sua coactiva coerceri aut repelli ecclesia petat. Hæc quæstio est politica. Priorem ad ecclesiam pertinere contendimus, posteriorem verò Magistratui ultrò deferimus. Sic tamen ut etiam quoad priorem, sicut nemini, ita nec Magistratui. rationes latæ ab ecclesia seu à Synodo sententiæ exhibere denegemus. Utramque autem, tam priorem, quam posteriorem

Magi-

Magistratus judicio subjici vult D. Vedelius. Attamen quoad judicium de priori, *rectè*, secundum D. Vedelium, *fecerit Magistratus, si in consilium adhibeat peritiores & pios Theologos*. Sic judicium de causa mere Ecclesiastica erit penes Magistratum, qui quidem suadetur adhibere peritos & pios Theologos, sed tantum adhibere in consilium, ut consultores sc: non ut judices. Ergo ne Magistratus supremus ea in re porrò aget pro authoritate sua architectonica? Non video quid hinc aliud concludi possit. Sic ergo dabitur supremus judex rerum Ecclesiasticarum, ad quem à judiciis legitimorum Ecclesiasticorum conventuum provocari liceat imò debeat. At quid si supremus Magistratus neget peritos & pios Theologos adhibere in consilium, sed ipse solus sua architectonica, quæ ipsi defertur, potestate judicare causam illam velit, quid dicant aut faciant architectonicæ potestatis propugnatores? An judicium istud supremi Magistratus est ἀνυπεύθυνον? Si autem Theologos adhibeat in consilium, an ex paucorum Theologorum sententia reformari debebat legitimum Synodi integræ judicium? Fortè supremum Magistratum docebunt judicii Synodici æquitatem: sed an hoc non posset ipsa Synodus? At fortè ipsa Synodus erraverit. An periculum hoc evitari poterit appellatione ad Magistratum? Quid ni pars condemnata

petat revisionem ut vocant, aut novum examen causæ suæ, & à Synodo malè informata, provocet ad Synodum melius informandam, vel ab istâ Synodo provocet ad aliam? Quare nec prorsus, aut absolutè, Synodum præteriri velle videtur D. Vedelius, addens, *Nisi fortè rei gravitas postulet, ut de ipsius Magistratus sc: voluntate, res in alia Synodo resumatur, prout nonnunquam à piis Imperatoribus in vetere Ecclesia factum.* Sed quid si Magistratus judicet rei gravitatē non postulare aliam Synodum, quid tum? Causa de quâ judicium ferendum, vel erit realis vel personalis. Realis, quum agitur de ipsa doctrinâ in Ecclesia tradenda, ejusq; vel veritate vel falsitate: Personalis, quū quæritur de persona ἑτεροδοξίας, aut alias improbæ vitæ, accusata, num hujus illiusve verè rea sit. Priorem in Synodo debere judicari quis dubitet? Posterior rursum duplex esse potest vel enim quæretur, num culpa, cujus persona rea accusatur, verè culpa sit: ubi, si culpa doctrinam concernat, coincidet cum quæstione reali de doctrina, saltem eam involvet: vel quæretur, num ipsius confessio doctrinam pro falsa habitam in se contineat: veluti in causa Arrii, post Synodum Nicenam, in qua æterna Iesu Christi Servatoris nostri Deitas agnita & stabilita fuit, quæstio incidit, num Confessio, quam Arrius Imperatori Constantino Magno exhibuit, à fide & confessione Synodi

nodi Nicenæ aliena esset. Quid quæso hic quod ad Synodum non pertineat? Utraq; enim quæstio merè Ecclesiastica est. Nam & hæc posterior prorsus & omni ratione Ecclesiam concernit, utpote in qua quæritur num persona talem edens confessionem non tantum pro membro Ecclesiæ haberi debeat, sed & pro tali cui ministerium verbi in Ecclesia possit committi. Si autem quæstio est de vitæ probitate, ea examinanda venit causa disciplinæ Ecclesiasticæ in personam ream exercendæ.

Dices. An ergo nullæ hic sunt partes Magistratus? Nullum ipsi hic competit judicium? Resp. Quamdiu quæritur de doctrina quæ in Ecclesia obtinere & tradi debet, vel de disciplina Ecclesiastica in quempiam exercenda, causa planè & omnino pertinet ad conventum Ecclesiasticum. Ast quum quæritur de doctrina in publico docenda, & authoritate Magistratus in publico sancienda, & simul cum Ecclesia quæ eam profitetur defendenda, causa pertinet ad Magistratum, ut supra distinctè explicatum est. Exemplum sit Controversia Ariana. Quia Ecclesiam illa concernebat, & quidem primò ac quam maximè, voluit prudentissimus & piissimus Imperator Constantinus eam in Synodo examinari & decidi. Sed quia religionem Christianam & Ecclesiam fecerat publicam, judicabat & ipse, num doctrina Synodi talis es-

ſet quam publicè, in ſpirituale bonum ſubditorum ſuorum, doceri vellet. Synodus pronunciavit ſententiam de vera & æterna Ieſu Chriſti Deitate orthodoxam, & in eccleſia è verbo Dei tradendam, ſententiam Arii contrariam ut heterodoxam condemnavit. Imperator doctrinam & ſententiam Synodicam, ut veram & piam, ſua authoritate in publico ſtabiliendam, ſanciendam, & defendendam cenſuit. Hinc factum quod ejectus ſit Arius, tum eccleſiaſticè, tum politicè. Eccleſiaſticè à Synodo quæ eum, & functione, & communione Eccleſiaſtica indignum pronunciavit, & munere Eccleſiaſtico privavit. Politicè ab Imperatore, qui eum poteſtate ſua coactive è publico removit. Exemplo etiam nobis ſit cauſa, non ita pridem inter nos agitata, ſectæ & factionis Remonſtranticæ, ſive Arminianæ. Duplex enim ea erat, primò reſpectu doctrinæ in Eccleſiis Reformatis agnitæ ac receptæ, & dein reſpectu religionis à ſummo noſtro Magiſtratu in publico admiſſæ, & adverſus tyrannidem ac vim Hiſpanicam defenſæ. Quare ratione prioris in Synodo Nationali Dordracena judicari eam voluerunt unitarum Belgii Provinciarum Ordines Generales. Agnoverunt iidem veritatem & ſanctitatem doctrinæ in Eccleſiis omnibus reformatis è verbo Dei receptæ, & tunc denuò in Synodo iſta Eccleſiaſtico agendi modo ſancitæ eaque

eaque ratione in publico illam sua authoritate stabiliendam & muniendam judicarunt, mandantes suprema sua potestate, ne qua alia in Ecclesiis Reformatis Belgicis publicè doceretur. Itaque remoti sunt, qui Arminii sententiam amplexi, Remonstrantium nomen sibi sumserant: Remoti sunt à Synodo illa nationali, & deinceps à Synodis singularum Provinciarum particularibus, ecclesiasticè, quum ipsis munere ecclesiastico privatis omni Ecclesiastica functione interdictum fuit: remoti quoque sunt Politicè quum à summo Magistratu, subordinatisque Magistratibus, ex summi Magistratus decreto, mandatum ipsis fuit à publica functione abstinere, & qui inter illis mandato isti parere recusarunt, è toto Belgio unito jussi sunt excedere.

Hinc facilè judicari potest quid sentiendum sit de Judicio quod D. Vedelius vocat Judicium exequutionis. Nam cujus est judicare, ejusdem est Judicium suum suo modo exequi. Quare quum ecclesiastico conventui competat judicium definitivum Ecclesiasticum, competit ei etiam judicium ecclesiasticum ecclesiasticæ exequutionis: sicut Magistratui cum judicio definitivo Politico competit judicium Politicum politicæ exequutionis. Nimis ergo confusè & intricatè loquitur D. Vedelius dicens, *Judicium exequutionis ita ad Magistratum pertinet post Synodum, ut ipsius officii sit per*

judicia publica exequi sententiam, quæ non solum Ecclesiasticorum est, sed etiam primò & præcipuè ipsius Magistratus, ut nobilissimi membri, & directoris totius Synodi: Nam sententia Synodi non potest esse nisi ecclesiastica, quæ proinde non potest esse nisi Ecclesiasticorum. Nam soli Ecclesiastici judicium ferunt Ecclesiasticum, & pronunciant ecclesiasticam sententiam: non Magistratus, nisi Magistratum ex Politico ecclesiasticum facere velit D. Vedelius. Quare autem Magistratus non possit dici nobilissimum membrum ecclesiæ & Synodi, supra evidenter satis est demonstratum.

Cap. XX.

Vindicans considerationes meas ad Quæst. septimam de exercitio Disciplinæ Ecclesiasticæ.

HInc commodus nobis erit transitus ad potestatem Magistratus circa exercitium disciplinæ ecclesiasticæ de qua agitur quæstione Vedeliana septima, ubi quæritur, *An Magistratus curam gerere debeat ne Ministri Ecclesiæ disciplina Ecclesiastica abutantur, & alicui injuriam faciant?* ad quam quæstionem D. Vedelius hac propositione respondet, *Quemadmodum Magistratus officium est operam dare, ut disciplina Eccle-*

Ecclesiastica à Christo instituta conservetur: ita etiam ipsius est curare ut illa legitimè à Pastoribus in consistoriis & aliis judiciis Ecclesiasticis exerceatur: efficere ne abusus circa eam committantur: impedire ne cuipiam injuria fiat in ejus administratione; & si quidem injuria alicui fiat, aut facta sit à Pastoribus per exercitium seu potius abusum disciplinæ Ecclesiasticæ, sive in Consistorio, sive in Synodo, licet ei apud Magistratum conqueri ut custodem ac vindicem externi ordinis à Christo instituti, & tunc tenetur Magistratus ex officio prospicere conquerenti. Quia observaveram quæstionem illam, cum propositione ad eam responsoria, laxam nimis & amplam esse, sic breviter, accuratioris considerationis gratia, ad eam annotabam. Etiamsi is cui notoria ab ecclesiastico judicio fit injuria, vel qui ab illo tyrannidem patitur, implorare possit Magistratus opem, cujus est quemlibet à quâlibet injuria vindicare; considerandum tamen an ad quæstionem illam, sine limitatione & explicatione, affirmativè respondere debeat. Hoc enim si fiat, jam statuendum erit, Magistratum debere adsidere omnibus conventibus ecclesiasticis, ibique observare num Ministri ecclesiæ disciplina ecclesiastica ritè utantur, quemadmodum vel Domini famulis, vel parentes liberis suis adsident, ut eorum facta observent. Rogans ubinam hoc doceat verbum Dei,

aut permittat praxis Eccleſiæ? Et quia pro illa generali & perpetua Magiſtratuū quorumlibet in ſingulis conſiſtoriis & conventibus Eccleſiaſticis præſidentia produci poſſet ſupremorum Magiſtratuum per delegatos ſuos præſidentia in Conciliis, ſimul adnotabam, Aliam eſſe rationem Conciliorum, in quibus cauſa religionis & doctrina publica tractatur, quam Magiſtratus tueri debet & conſervare, & quæ vel tranquillitatem vel commotionem Reipub. ſecum trahit: aliam verò privatorum conſiſtoriorum in quibus cauſæ & delicta privata tractantur ad ſingulorum conſcientias inſtruendas.

Ad conſiderationem iſtam reſpondet D. Vedelius hiſce verbis. *Explicavi* (inquit) *illam quæſtionem quantum quidem brevitas permittebat, & ratio inſtituti poſtulabat.* Quomodo autem illam explicaverit prudens lector facile obſervabit ex accurato D. Revii examine. Saltem non explicavit ea ratione quam conſideratio mea jure ac meritò requirit. Ad explicationem iſtam inter alia facere dicit quod dixit *in hoc negotio nihil iniquè temerè, leviter, malitiosè à quoquam (& ſic nec à Magiſtratu) eſſe faciendum, ne fraus fiat ordini à Chriſto inſtituto, & diſciplina Eccleſiaſtica illudatur, &c.* At iſta explicatione non ſatisfacit. Quæſtio enim hic eſt de jure, de poteſtate, de cura quæ incumbat Magiſtratui: ille au-

autem de abusu potestatis respondet. Non quæritur de eo. An Magistratus quod ipsi hîc agendum est debeat sine iniquitate, temeritate, levitate, malitia agere: verum an absolutè & illimitatè id dicendum sit, quod D. Vedelius in ista propositione sua absolutè & sine limitatione asserit, videl: *Magistratus esse curare ut disciplina Ecclesiastica legitimè à Pastoribus in consistoriis & aliis judiciis Ecclesiasticis exerceatur: efficere ne abusus circa eam committantur: impedire ne cuipiam injuria fiat in ejus administratione, &c.* Rationem quare non putem id ita absolutè asserendum esse hanc indicavi. Quod tum statuendum esset magistratum debere adsidere omnibus conventibus ecclesiasticis, ibique observare num Ministri ecclesiæ disciplina ecclesiastica ritè utantur: quod tamen nec verbum Dei docet, nec praxis Ecclesiæ permittit.

D. Vedelius respondet, *Id quod in consideratione ista ponitur non magis sequi ex suâ thesi, quam ex eâdem thesi sine ulteriore declaratione à Clar. Professs. Leydens. in Synopsi, & à cæteris Theologis omnibus à se ibi adductis id sequitur.* Sed temerè id dicit. Nam nec Clariss. Profess., nec cæteri Theologi (quantum ego observare potui id dicunt quod D. Vedelius. Quum enim disp.48. pluribus argumentis, tum ex Vet. tum ex Novo Testamento desumtis, probassent D. D. Professores disciplinam Ec-

clesiasticam, tandem concludunt thesi 17. & 18. hoc modo. *Ex quibus omnibus manifestum est gravissimè eos errare qui hanc potestatem Ecclesiæ datam negare audent, quæ universa Veteris & Novi Testamenti, & Ecclesiæ totius Christianæ immotâ praxi fulcitur. Graviter etiam errant illi qui hanc potestatem quidem Ecclesiæ à Christo datam fatentur, sed extra ordinem, & ad tempus tantum, quamdiu Ecclesia sub cruce fuit, & Magistratibus Christianis caruit: quia argumenta ex veteri Testamento antea allata de Ecclesia sub fidelibus Magistratibus constituta agunt: & Christus in Novo Testamento Ecclesiæ hanc potestatem absolutè & in perpetuum dedit, nulla ejusmodi exceptionis mentione aut suspicione usquam injecta. Vnde & Ecclesia primitiva eandem potestatem citra omnem controversiam exercuit, non tantum sub cruce, & antequam Imperatores essent Christiani, sed etiam sub iis quando jam ad fidem essent conversi, & sub eorum politico regimine, quod ab Ecclesiastico & spirituali hoc regimine semper distinctum & discretum fuit.* Quum autem thesi sequente 19. potestatem Magistratus, quoad disciplinæ istius Ecclesiasticæ exercitium, explicatum eunt, in hæc verba profantur. *Etsi verò hanc spiritualem potestatem à Christiani Magistratus inspectione, tanquam utriusque tabulæ custode, non eximimus: negamus tamen eam, aut ejus praxin, à Magistratus*

gistratus suprema authoritate pendere, sicut quidam recentiores contendunt, cum à Christo solo pendeat, & ab ipso immediatè Ecclesiæ sit concessa, ut loci antea producti demonstrant: ac proinde, nec per appellationē aut provocationem propriè dictam, potestas hæc ad Magistratus aut Principum tribunal deferri potest, cum ejus executio penes ipsos non sit. Interim tamen non diffitemur verum esse quod Beza adversus Erastum fatetur, Quum etiam à rectè constituto Consistorio possit reis delatis injuria fieri, in angustioribus territoriis, citra ullam ordinis Ecclesiastici violationem, Christianus Magistratus, ut tabulæ utriusque & Ecclesiasticæ εὐταξίας custos & vindex, prospicere potest conquerentibus. Audimus D. Professores docentes quod praxis disciplinæ Ecclesiasticæ, non ab authoritate Magistratus, sed à solo Christo pendeat. Audimus quidem Bezam docentem quid possit Magistratus facere, quum reis delatis in Consistorio fit injuria, quod planè coincidit cum eo quod ego in ipso initio Considerationis meæ dixi: sed id planè est extraordinarium, quod fieri, tum possit quum casus talis extra ordinem accidit, ac proinde differt longè à cura ordinaria Magistratibus à D. Vedelio tributa, *quæ curare scil: debeat, ut disciplina Ecclesiastica legitimè à Pastoribus in Consistoriis & aliis judiciis Ecclesiasticis exerceatur: efficereque ne abu-*

sus

sus circa eam committantur, & impedire ne cuipiam injuria fiat in ejus administratione: quamobrem monui considerandum esse an ad quæstionem istam sic absolutè, sine limitatione & explicatione, responderi debeat.

Cæterum quid opus est ut talis tradatur & urgeatur provocatio ad Magistratum? quum saltem hisce in regionibus, locus pateat provocationi ecclesiasticæ, à Consistorio sc: ad Classem, à Classe ad Synodum Provincialem, cui delegati à supremo Magistratu intersunt, qui, etiam sine ejusmodi provocatione, coram audire & cognoscere possunt num reis delatis ulla, à conventibus Ecclesiasticis facta sit, aut fiat injuria.

Quod etiam D. Bezæ visum, cujus verba hic lubet adscribere, ut quam prudenter & modestè magnus ille vir hac in causa loquutus sit, Christiano lectori pateat. Is ergo in præfatione Tractatus sui de vera Excommunicatione, & Christiano Presbyterio, contra Erastum, sic ait hac de re. *Quum autem non immeritò metuatur, & præcavenda sit, aliqua in istiusmodi judiciis Ecclesiasticis prævaricatio, vel aperta etiam tyrannis illa, quæ jam olim Prophetas in ecclesia Israelitica, & à non paucis seculis tot sanctissimos viros in Ecclesia Christiana crudeliter persequuta est, & nunc quoque summa rabie persequitur, qualis etiam in Syno-*

dis,

dis, & quidem frequentissimus non semel usuvenit: quodnam (quæso) aptius & certius remedium avertendæ vel cohibendæ istiusmodi, sive tyrannidi, sive oligarchiæ adhiberi potest, quam delectorum, & Pastoribus adjunctorum, prudentum, & spectatæ imprimis pietatis, civium aliquorum authoritas? Et quum fieri quoque ab universo sic rectè constituto Consistorio possit reis delatis injuria, nihil obstat quo minus, ubi Synodi cogi possunt, ad Synodum provocetur, sicut vetustis quam plurimis Canonibus, non certè repudiandis, cavetur, & in amplioris ditionis Ecclesiis observatur. Vbi verò nullus est locus Synodis, ut in angustioribus territoriis, idoneis tamen aliis remediis, citra ullam ordinis Ecclesiastici violationem, Christianus Magistratus, ut tabulæ utriusque, & præterea Ecclesiasticæ εὐταξίας custos ac vindex, prospicere conquirentibus potest. Huc usque Beza, Qui primum ostendit quare utile, imò necessarium sit, ut cives quidam honesti, & spectatæ pietatis, ex vocatione Ecclesiastica regimini Ecclesiæ adhibiti, Pastoribus in Consistorio adsideant, vitandæ sc: oligarchiæ & tyrannidis avertendæ gratia. Deinde, cum etiam à legitimo tali Consistorio cuipiam injuria fit, ad Synodum provocari posse docet. Denique tertiò, ubi Synodis locus non est (quod in Ecclesias tamen nostras non quadrat) remedia quidem à Magistratu adhiberi posse di-

cit,

cit, sed remedia idonea, id est, cum naturâ ecclesiæ convenientia, & quæ citra ullam ordinis Ecclesiastici violationem adhiberi possint. In quo duo igitur observare oportet. 1. Non esse hoc urgendum in nostris Ecclesiis, in quibus & Seniores è Civibus in Consistorio Pastoribus adsident, & Synodi habentur annuæ ad quas tutò provocare liceat. 2. Ejusmodi remedia à Magistratu Christiano, illis in locis in quibus Synodis nullus est locus, adhiberi posse, quæ ordinem Ecclesiasticum non violent. Non enim dicit ipsum Magistratum, aut posse, aut debere, ecclesiasticam disciplinam exercere, sed *posse conquerentibus prospicere idoneis remediis citra ordinis Ecclesiastici violationem.*

D. Vedelius subjicit rationem quare id quod in consideratione mea posui non sequitur ex thesi sua, *quia necessum non sit ut ob eam causam Magistratus conventibus omnibus Ecclesiasticis adsideat.* Verum ratio ista præter rationem est. Curam enim istam Magistratus habere non potest, nisi ipse, coram in Consistoriis & aliis judiciis Ecclesiasticis adsit, observetque num in exercitio disciplinæ ecclesiasticæ, ulla cuipiam fiat injuria. Sed Vedelius dicit opus hoc non esse, *quia Magistratus possit disciplinam Ecclesiasticam etiam absens examinare, & siquid in ea jure desideretur, à Pastoribus exigere ut illud ex verbi Dei analogia*

adda-

addatur vel emendetur. Resp. Posse hoc fortè fieri in casu extraordinario, cum alicui notoria fit injuria, vel cum, Consistorio in executione injustæ suæ sententiæ præfractè progrediente, res ad Magistratum deferri debuit (quod certè in Consistorio legitimè constituto vix, vel rarissimè saltem, accidere queat) at non sufficere ad curam ordinariam quam D. Vedelius hac in parte Magistratui adscribit.

De Sessione autem Magistratus in Consistorio Ecclesiastico sic dicit obiter. *Cæterum an Magistratui liceat adsidere Consistorio, videatur Synod. Dordr. Constit. Eccles. Art.* 37. *& D.D. Prof. Leyd. loco citato.* In Thesibus autem, seu in Synopsi D. D. Professorum, nihil juveni quod doceat Magistratum, aut posse, aut debere adsidere Consistorio. Quin tale nihil, vel ex verbo Dei colligi potest, vel in ullius Ecclesiæ praxi, ab ipso Christi & Apostolorum tempore, usque ad annum millesimum quingentesimum octuagesimum sextum, est reperire: quo primum tempore hoc concessum fuit in tum conceptis constitutionibua ecclesiasticis, & quidem Lycestrianæ factionis causa: quod etiam in postremis, in Synodo Nationali Dordracena conceptis constitutionibus, relictum fuit, quò benigniores Ecclesia sibi experiretur Magistratus. Quapropter id novum quid est, nec fundatum in verbo Dei, nec in ullis

antiquis

antiquis Eccleſiis uſitatum. Quod ipſum & beatæ memoriæ Clariſſ. Virum D. Walæum, cum ea de re inter nos ſermo eſſet, fatentem & teſtantem audivi: tantum abeſt ut D, D. Profeſſores in ſuis Diſputationibus id voluerint aſſertum. Conſtitutiones autem iſtæ Eccleſiaſticæ, quamvis in Synodis Nationalibus illius temporis conceptæ, ab omnibus tamen eccleſiis needum receptæ, nec à ſupremo noſtro Magiſtratu authoritate publica ſancitæ ſunt.

Cap. XXI.

Defendens Conſiderationes meas ad quæſtionem D. Vedelii octavam de Legibus Eccleſiaſticis.

SEquuntur Conſiderationes meæ ad quæſtionem & reſponſionem D. Vedelii octavam. Quæſtio octava eſt, *An Magiſtratus habeat poteſtatem leges ferendi Eccleſiaſticas?* D. Vedelius reſpondit hac propoſitione. *Magiſtratus habet poteſtatem leges ferendi Eccleſiaſticas, verbo Dei non repugnantes, tam circa perſonas, quam circa res Eccleſiaſticas.* Ad eam ſic breviter annotavi, ſive hæc ſequentia conſideranda propoſui. An Magiſtratus poteſtatem illam exercere poſſit, etiam inconſulta & invita

invitâ Ecclesia, & quidem orthodoxa & bene ordinata? Si non: an non ergo thesis ista periculosè asseratur? An Magistratus potestatem illam leges ferendi habeat ut Dominus Ecclesiæ in Ecclesia existens, uti in Republ. sua potestatem habet ut supremus in terris Dominus? Item, An nullæ hic sint partes ministrorum & Inspectorum Ecclesiæ? Dices, Sequitur in thesi nona. Sed an non æquè explicandum. Utrum magistratus potestate illa architectonica, qua in Repub. leges fert, etiam ferre eas possit in Ecclesia, an secus? Et quo pacto Magistratus sua illa potestate uti debeat, ut illi Ecclesiæ potestati & Ministrorum ejus damnum non inferat? Sic ego. Audiamus D. Vedelium, qui sic ait. *Quinque hic quæruntur, ad quæ uno verbo, præter ea quæ ante in genere dicta sunt, respondere possem: In quæstione mea quæri de jure quod sufficit contra thesin Bellarmini, in considerationibus autem agi fere de exercitio juris, seu modo exercendi illam potestatem.* Imò (inquam) de jure agitur etiam in Considerationibus meis, & quidem potissimum de Jure, ut patet consideranti. Attamen ad singula breviter respondebit. Ad primum, An Magistratus potestatem leges ferendi exercere possit etiam inconsulta & invita Ecclesia, & quidem orthodoxa & bene ordinata? Si non, An non ergo thesis illa periculosè asseratur? Respondet 1. *Periculosa igitur esse*
do-

doctrina Ecclesiarum Reformatarum, & periculosè asseritur illa thesis ab omnibus Theologis Reformatis quos ego citavi, adeoque nominatim â D. D. Professoribus Leyd. nemo enim ex illis limitationem eam expressit. Regero, non responderi ad rem. Ego enim de re ipsa quæro, de jure, de æqnitate istius assertionis Vedelianæ; ad quam, vel affirmativè, vel negativè respondendum erat, responsioque verbo Dei & ratione probanda. Sed authoritates doctorum mihi reponit, quod nescio quid Pontificii sapit, aut saltem ad Pontificiorum agendi modum nonnihil vergit. Quare non sic, ut ipse per totam istam fecit disputationem, allegatis & authoritatibus Doctorum, sed verbo Dei, & solidis rationibus dimicandum. Attamen necdum demonstravit suam illam propositionem continere doctrinam omnium Ecclesiarum Reformatarum, & sententiam omnium Theologorum Reformatorum, quod sedulus lector è D. Revii examine aliundè intelligit.

Ast paulò propius accedit. Dicit enim 2. se *in responsione ad quæstionem istam dixisse, Magistratum rectè adhibere in ea re consilium prudentum, piorum, & peritorum Doctorum Ecclesiæ.* In consilium tantum, quod, si ipsi placet, sequatur (credo) secus rejiciat: & quos Doctores Ecclesiæ pro arbitrio suo evocet. Pergit. *Sic etiam non impedio* (inquiens) *quo minus adhibeat in con-*

consilium totam Ecclesiam, seu Consistorium: *imò* (ait) *laudo illud & probo.* At quomodo impediret, Magistratu id volente? Quo etiam modo non laudaret & probaret, quum nihil in eo peccari possit? Verum id necdum est quod quæritur. Quæritur enim, An non Magistratus teneatur advocare & adhibere Pastores & Inspectores Ecclesiarum, saltem in Ecclesia orthodoxa & benè constituta, & ex eorum consilio omnia agere quæ istam legum Ecclesiasticarum lationem concernunt, ut illis cura, inspectio, & gubernatio Ecclesiarum, quæ jure divino, ex ordinatione & authoritate Jesu Christi, ipsis competit, salva & integra conservetur? Sed responsioni illi secundæ, qua Consistorium à Magistratu in consilium adhiberi permittit non tantum sed & laudat, hanc addit limitationem: *Modò non existimetur Magistratum illa in re pendere ab Ecclesia, ut à potestate superiore. Hoc enim repugnat doctrinæ Ecclesiarum Reformatarum, imò verbo Dei, ut facile ostendere possem.* Sed frustra, & sine causa, adhibetur ista limitatio. Nemini enim nostrum vel per somnium in mentem venit, Magistratum ab Ecclesia, ut à potestate superiori dependere: imò contrarium ejus supra aliquoties à nobis dictum & demonstratum fuit, & quidem ex ipsis principiis & fundamentis sententiæ nostræ. Quare & nos vicissim postulamus ab ipso
thesi

theſi ſuæ addi hanc limitationem: *Modò non exiſtimetur Eccleſiam illa in re pendere à Magiſtratu, ut à poteſtate ſuperiore.* Rationes utriuſque ex iis quæ ſupra explicata ſunt facilè peti poſſunt. *Maximè autem* (ait porro) *non repugno ubi conſuetudo aut conſtitutio Eccleſiaſtica alicujus regni, provinciæ, civitatis, illud poſtulat: quemadmodum expreſsè proteſtatus ſum in concluſione, me nullius loci conſuetudinibus aut conſtitutionibus Eccleſiaſticis quicquam derogare velle.* Attamen (dico ego) quandoquidem diſſertationem ſcribere & edere voluit de Epiſcopatu Conſtantini Magni, erat ipſius oſtendere quibus fundamentis conſtitutiones illæ & conſuetudines niti debeant, ut de earum æquitate judicium fieri poſſit.

Tertiò reſpondet, *Eccleſia orthodoxa & benè ordinata, vel officium ſuum facit ſecundum ordinem ſibi à Deo præſcriptum, vel non. Si officium facit, nunquam eâ invita legem feret Eccleſiaſticam pius Magiſtratus, atque obſervans conditiones quas, partim in theſi, partim in Exegeſi illius, & alibi expreſſi.* Sed in ipſius theſi, ejuſque exegeſi, nullas potui obſervare conditiones, quibus Magiſtratus impediatur leges ferre Eccleſiaſticas invita Eccleſia orthodoxa officium faciente. Si jam motus iſta conſideratione hoc velit, ſc: leges non ferre invitâ Eccleſiâ, eſt de quo Eccleſiæ ex ipſo gratulemur.

lemur. Audiamus autem rationem, ob quam pius Magistratus nunquam legem feret Ecclesiasticam invita Ecclesia officium faciente. *Nam ex una parte* (inquit) *semper studere debet Magistratus concordia cum ecclesia: ex altera parte ipsa Ecclesia novit officii sui partem esse obedire Magistratui. Rom.13. vers.1. Tit.3. v,11. 1.Pet, 2. vers:13.* Rectè. At quam ob causam debet Magistratus studere concordiæ cum Ecclesia? An ex Politicis solum considerationibus ob publicam tranquillitatem: an verò quia etiam Ecclesiæ sua potestas Ecclesiastica competit? Si posterius, quare ergo non addit jus Ecclesiæ, sive Pastorum, Inspectorum, & Gubernatorum Ecclesiæ, fluens è potestate, cura, Inspectione, & Gubernatione spirituali Ecclesiæ, divinitus ipsis demandata? Act. 20. v. 28. Rom.12. vers. 8. 1.Corinth.12. v.28. 1. Thess.5. v.12. Heb.13. vers.17. 1.Pet.5. v.1.2. Ius illud potestatem istam, hoc loco, ubi maximè ejus meminisse oportebat, planè præterit. Per imprudentiam, an dedita operâ, ipse norit. *Si autem* (inquit) *Ecclesiastici non faciunt officium, Magistratus eos cogere, adeoque vel invitos compellere debet ad officium secundum verbum Dei faciendum: ad quam potestatem coactivam νομοθετικὴ etiam pertinet.* Mirum hic audio, Ecclesiam sc: orthodoxam, & bene ordinatam, in qua Ecclesiastici officium non faciunt. Videor enim

mihi,

mihi, hic observare contradictionem in adjecto. Nam Ecclesia non potest dici bene ordinata ubi Ecclesiastici non faciunt officium.

Ad quæstionem secundam, *An Magistratus habeat potestatem illam ut* Dominus *Ecclesiæ?* respondet, *Habere illam potestatem ut custodem utriusque tabulæ legis, gladio corporali armatum, & sic ut directorem ordinis externi in Ecclesia, qui habet potestatem νομοθετικὴν, secundum verbum Dei, circa omne bonum subditorum suorum, adeòque etiam circa bonum spirituale, ut Paræus rectè loquitur in Comm. ad Roman. cap. 13. p.* 1085. Sed illa responsio non satisfacit, ob rationes ex præcedentibus satis manifestas, ubi Paræi sententiam examinavimus, & ostendimus ex eo quod Magistratus potestatem habet circa omne bonum subditorum suorum, male colligi quod sit director ordinis externi in Ecclesia, quandoquidem ista duo planè diversa sunt. Ratio diversitatis perspicua satis ibi monstrata, fundamentaque ejus manifesta & solida illic posita sunt, ex quibus de hac ipsius responsione fiat judicium.

Tertiò quæsitum, *An nulla hic sint partes Ministrorum & Inspectorum Ecclesiæ?* Respondet 1: *Ipsorum est consulere Magistratui in talibus, ut in Exegesi ibidem dixi.* At hoc (dico) non sufficit. Nam & Consiliarii consulunt Principibus ac supremis

suis

suis Magistratibus, ut eorum subditi & famuli. Addit igitur 2. *Ipsi etiam possunt leges seu constitutiones Ecclesiasticas ferre, ut doceo quæst.9.* Sed conferat attentus lector quæstionem illam & responsionem Vedelianam cum examine & censura D. Iacobi Revii ad illam, ut intelligat quo modo & qua ratione id possint.

Quæsitum fuit quartò, *Vtrum Magistratus potestate Architectonica leges possit ferre in Ecclesia?* Respondet cum D. D. Profess. Leyd. in Censura Confessionis Remonstrantium cap. 25. §. 3. 4. pag. 330. 334. *Christus ministris utitur &c.* sed omittit ea quæ præcedunt, quibus ad quæstionem istam propriè & directè respondetur: quare necessum est locum istum paulò altius repetere. Quum Remonstrantes in Confessione sua dixissent, *Officium Magistratus esse externum Ecclesiæ ordinem ac regimen architectonicè moderari, & publicum Dei cultum in ea sartum tectum conservare:* D. D. Profess. hanc declarationi isti censuram apponunt. *Certè agnoscimus & nos Magistratus hoc officium. Sed quod addunt,* Architectonicè moderari, *id absolutè ita dici non potest. Quod vel id evincit quod prænotarunt de Magistratu Christiano* (si quis modò sit in Ecclesia:) *quo satis indicant non absolutam ejus potestatem esse in Ecclesiæ regimine, ut quod etiam Ecclesia habet Magistratu in Ecclesia non existente, eaque*

potestate Magistratus destituta. Ita ut tota hæc potestas Magistratus in regimine Ecclesiæ sit potius ex accidente quam ex natura Ecclesiæ, quæ cum toto suo ordine & regimine externo esse potest etiam dum Magistratus ejus membrum non est. Christus, ut unicus Ecclesiæ Rex, Ecclesiam suam ipse regit & moderatur architectonicè, non tantum quà interna, sed & externa & publica est, idque per Ministros suos, qui hic ministri tantum sunt, & ministerialiter agunt: neque ulla alia potestas verè Architectonica est in Ecclesia Dei. Ac proinde si quis absolutè dicat, Magistratum Ecclesiæ regimen architectonicè moderari, *ille Christi regimen non leviter infringit: aut si subalternè sub Christo talem architectonicam intelligat, ille Ecclesiam sacrumque Ministerium, quod immediatè subest Christo, jam Magistratui ita submittit, ut Ministri non modo Dei, sed & Magistratus ministri dici debeant, atque ita Ecclesiæ, ministerioque Ecclesiastico, sua potestas divinitus tributa subducetur. Quin hoc modo loco Papæ unius tot Papæ erunt quot sunt supremi Magistratus. Ergo non absolutè moderatio externi ordinis Ecclesiæ & regiminis architectonica Magistratui competere potest, sed soli Christo.* Hactenus verba D. D. Profess. à D. Vedelio præterita, quibus tamen ad quæstionem meam quartam directè & ex professo respondetur, & ita quidem respondetur, ut architectonica

ctonica potestas in rebus Ecclesiasticis disertè negetur Magistratui. Quare D. Vedelius ea præterierit ipse norit. Sensit (credo) istam D. D. Profess. censuram opinioni suæ quam maximè adversari. An non igitur meritò fidem hic in ipso desideremus, judicet æquus lector. Sequuntur immediatè verba à D. Vedelio in sua illa responsione producta, quæ etiam subjiciam, ne quis suspicetur me malè ab illis mihi metuere. Ex præcedentibus enim quæ sit D. D. Prof. mens in sequentibus, satis esse potest manifestum. Sic itaque porrò loquuntur. *Qui* (scilicet Christus) *ministris utitur ad regiminis sui administrationem: Ecclesiæ & ministerio ejus in rebus indifferentibus tribuens quandam dispositionem seu dispensationem; Magistratui verò, secundum sublimem ejus vocationem, ut utriusque tabulæ custodi, divini cultus omnisque publici ordinis tutori, hæc eadem potestas convenit: sed suo modo, nempe Politicè, dum, pro αὐτοκρατορικῇ, & ἀρχιτεκτονικῇ sua potestate, pietatem & ordinem Ecclesiæ legibus sancit ad vigorem publicæ observantiæ. Quo neque Ecclesiæ suam, neque Magistratui suam potestatem detrahimus, sed utrique quod suum tribuimus, & amicè in uno Christi opere conjungimus.* Sic bene, distinctè, & perspicuè D. D. Professores.

Hisce ita positis & consideratis, facile erit ad quæstionem quintam, nim: *Quo*

pacto Magistratus sua illa potestate uti debeat, ut illi Ecclesiæ potestati, & ministrorum ejus damnum non inferat? respondere. Nam responsionem suppeditant ea quæ jam ex D. D. Prof. Leydd. verbis integrè protuli. Quare D. Vedelius responsione ista rectè & verè pronunciat hisce verbis, *Magistratus semper cogitare debet sibi non licere ullo modo infringere libertatem & potestatem quam Christus Ecclesiæ suæ, etiam in hac parte, dedit: sed amicè in uno opere, & quantum omnino fieri potest, conjunctis consiliis cum ea conspirare debet. Adeoque ubi Ecclesia legem vult ferre verbo Dei non repugnantem, sed utiliter, piè, prudenter, aut necessariò, pro temporis, aut aliarum circumstantiarum, ratione conceptam, debet eam sua authoritate confirmare.* Quod hac occasione, Vedelii potius, quam meis verbis monitum volui.

Cap. XXII.

Ostendens non satisfactum esse Considerationi meæ ad Quæstionem sextam de Potestate Coactivâ Magistratus in Pastores Ecclesiæ.

TAndem ad quæstionem D. Vedelii sextam, measque ad illam consideratio-

nes

nes deveniendum. Quæstio ejus sexta hæc est, *An Magistratus circa res Ecclesiasticas habeat potestatem cum imperio conjunctam & coactivam in* Pastores *Ecclesiæ?* ad quam respondet hac propositione affirmativa. *Magistratus circa res Ecclesiasticas habet potestatem cum imperio conjunctam, & coactivam in Pastores Ecclesiæ, & quasvis personas Ecclesiasticas.* Quæst. 3. dixit, *Potestatem Magistratus se extendere ad omnes partes officii ministrorum Ecclesiæ.* Quæst. 4. *Magistratum habere potestatem vocandi Pastores, seu Ministros Ecclesiæ; ita ut vocatio Pastorum ad Magistratum pertineat & formaliter & objectivè.* Quæst. 5, *Ad Magistratum pertinere judicium de Religione, seu rebus fidei & causis Ecclesiasticis, unicè ex verbo Dei instituendum: & quidem pertinere ad eum, tum formaliter, tum objectivè.* Quæst. 7. *Magistratum debere curam gerere ne Ministri Ecclesiæ disciplina Ecclesiastica abutantur, & alicui injuriam faciant.* Quæst. 8. *Magistratum habere potestatem leges ferendi Ecclesiasticas verbo Dei non repugnantes, tam circa personas, quam circa res Ecclesiasticas.* Potestatem autem hanc, dicit ad quæstionem sextam, *esse cum imperio conjunctam, & coactivam,* & cum D. Paræo vult esse *architectonicam.* Consideret pius lector quam laxè & illimitatè hæc omnia ponantur & proinde quò evadere tandem debeant.

Dicet se limitare hæc omnia verbo Dei, quia Magistratui tribuat *judicium ex Dei verbo instituendum, & potestatem leges ferendi Ecclesiasticas verbo Dei non repugnantes*, & sic in cæteris. At quid si Magistratus judicet judicium suum è verbo Dei esse desumtum, & leges suas cum illo non pugnare, an Pastor Ecclesiæ simpliciter acquiescet, quia Magistratus id ita judicat, cæcaque obædientia se ei submittet? Non credo hoc velle D. Vedelium. At tamen si Magistratus velit illum cogere ut acquiescat & obtemperet, quid tum faciendum? Quapropter ad quæstionem illam sextam, simul cum ejus responsione, sic annotavi. Quamvis non sit assentiendum sententiæ Bellarmini, cogitandum tamen an sexta illa antithesis tam absolutè poni debeat. Nam an non subditus in iis omnibus in quibus Magistratus potestatem habet in ipsum cum imperio conjunctam & coactivam, Magistratui morem gerere debet, & nî fecerit seditiosus habetur? D. Vedelius respondet. *Thesis illa quomodo intelligenda sit ex immediatè subsequentibus verbis patet, quibus explicatur & limitatur: nimirum quod Magistratus habeat potestatem, non quidvis imperandi personis Ecclesiasticis, & ni pareant eas puniendi: sed quod habeat potestatem imperandi iis ut officium suum, & quidem rectè, atque secundum præscriptum verbi divini faciant; & ni faciant*

offi-

officium suum rectè, impigrè, vigilanter, eas puniendi. Item quod potestatem habeat pastores cogendi, non ut à bonis actionibus, sed ut à malis & scandalosis actionibus abstineant. Atque huc faciunt omnia testimonia nostrorum Theologorum ibi à me allegata. Patet igitur (inquit) *me non attribuere ipsi potestatem absolutam, sed restringere eam & limitare, ita ut Magistratus non possit imperare ministris, & eos cogere ut faciant quæ contra eorum officium sunt, sed quæ officium ipsorum postulat: non quæ ad destructionem Religionis, sed ad conservandam incolumitatem religionis faciunt:* Sed limitatio illa non sufficit. Nam & illam adhibuere *Vtenbogardus, Grotius,* & similes, nec minus tamen potestatem Ecclesiasticam ad Magistratum transtulerunt. Parentes imperant liberis, Domini servis, Magistratus subditis; nec tamen illi liberis, isti servis, hi subditis suis præcipere aliud jure possunt, quam quod æquum & justum est, ac verbo Dei consentaneum. An eadem ratione Pastoribus præsunt Magistratus, & Magistratibus subsunt Ecclesiarum Pastores? nihil impedit ista limitatio Vedeliana quin sint. Sic Ecclesia visibilem habebit Dominum in terris, præter invisibilem in cœlis. Quapropter alia adhuc limitatione & distinctione opus hic est. Omnia enim quæ hactenus dixit D. Vedelius cum eo consistere possunt, quod Ecclesia, æquè ac Res-

Respublica, visibilem ac supremum habet in terris Dominum, vid: Magistratum.

Quapropter respondendum adhuc est ad istam quæstionem, Si Magistratus judicet, ac pronunciet, judicium suum verbo Dei esse consentaneum, legesque suas cum illo non pugnare, Ecclesia vero judicet contrarium, quid isto casu Ecclesiæ sit faciendum? D. Vedelius putat ad istam quæstionem à se satisfactum responsione sua ad quæstionẽ, in consideratione ista mea, motam ex Apostolorum, Senatui Ierosolymitano respondentium, exemplo. Interrogavi enim in consideratione ista mea, An Magistratus Ierosolymitanus in Apostolos habuerit potestatem, cum imperio conjunctam & coactivam? An Apostoli igitur seditionis rei fuerint contra mandatum illius Magistratus annunciantes Euangelium Christi? & ipse respondi, Nulla ratione. D. Vedelius in responsione sua ad considerationem istam meam dicit, *ex data sua distinctione inter pia & impia, licita & illicita, facile esse respondere ad exemplum Magistratus Hierosolymitani. Is enim* (inquit) *præcipiebat Apostolis illicita & impia, cujus jusso consequenter illi non tenebantur obedire, sed mandato Dei, qui contrarium ipsis præceperat Act. 4. 5. capp.* Eodem modo & ad illud exemplum respondet Utenbogardus in lib. suo de Auth. Magistratus in rebus Eccles. pag. 82. *Magistratus* (inquiens)

quiens) *non fecere officium, exhibuerunt se non imitatores, sed persecutores Christi: non mandantes, ut officii ratione debebant, sed prohibentes prædicare Iesum. In quo cum sancti Apostoli, nec possent, nec deberent, illis obedire sine Dei offensione (utpote cujus expressum mandatum pugnabat cum illo Magistratuum interdicto) jure summo, & debita cum parrhesia, protulerunt aurea hæc verba, & insigne hoc dictum, Deo magis obediendum quam hominibus*. Sic (inquam) respondit Utenbogardus, nec minus tamen, summo cum omnium piorum & orthodoxorum dolore, Ecclesiam, cum potestate ac Ministris ejus, indebita prorsus ratione Magistratui subjecit. Ergo responsio illa non satisfacit. Habet itaque D. Vedelius adhuc aliam*. *Cui accedit* (inquit) *quod ego loquor per totam Disputationem, ut expressè protestatus sum in proœmio, non de quovis Magistratu summo, sed de orthodoxo, qualis certè Magistratus ille non erat, quemadmodum stultè quidam Pontificii sentiunt*. Eandem responsionem habet & Utenbogardus loco jam allegato, ubi dicit, *Apostolos verba ista, sive dictum istud, non protulisse contra fidelem, sed contra infidelem Magistratum*. Quid ergo hic inter Vedelium & Utenbogardum interest? Verum & Orthodoxus Magistratus in aliquibus hallucinari potest & errare; ut hoc patuit in Constantino Arium revocante, & Atha-

nasium relegante. Itaque manet quæstio, Quid in tali casu faciendum sit Ecclesiæ, & ejus inspectoribus? Si parendum, perit orthodoxia, perit fides & pietas: si non parendum, quomodo Magistratui competat potestas cum imperio conjuncta, & coactiva, in Pastores Ecclesiarum & personas ecclesiasticas: quandoquidem subditus in iis omnibus in quibus Magistratus potestatem habet in ipsum cum imperio conjunctam & coactivam, Magistratui morem gerere debet, &, ni fecerit, seditiosus habetur. Quare scrupulum meum ne quidem attigit D. Vedelius, nedum ut nodum solverit. Videamus ergo an aliunde distinctio quædam petenda sit.

Dixi supra, parentes imperare liberis, dominos servis, Magistratus subditis, attamen non licere, nec illis, nec istis, nec his mandare, nisi quod licitum est & verbo Dei consentaneum, ac proinde nec præscribere suis adulterinam religionem. Sic etiam vice versa, non debent liberi parentibus, servi dominis, subditi Magistratibus morem gerere, nisi licita & pia ab illis jubeantur. Quænam hujus rei est ratio? Quia parentes, non nisi divina benedictione parentes sunt, nec animas ipsi generant aut generare possunt, quippe quæ à Deo *Patre spirituum* Heb.12. vers.9. immediatè creantur. Quam ob causam patrem supra se in cœlis agnoscere debent, eique conse-

crare

erare liberos suos; ut & ipsos liberos alium se habere & superiorem patrem agnoscere oportet: quò etiam respexit Christus, cum dixit Matth. 23. vers. 9. *Patrem vestrum neminem vocetis in terra, unus enim est Pater vester qui est in cœlis.* Domini verò & magistratus potestate sua potiuntur ex authoritate divina. Unde, & Domini, & servi, communem suum Dominum in cœlis respicere tenentur. Ephes. 6. v. 8. & Coloss. 3. vers. 22. 23. Magistratus autem *Dei minister est fidelibus in bonum.* Rom 13. vers. 4. Omnes ergo, sive Parentes, sive Domini, sive Magistratus, quoad pietatem & religionē, non nisi Ministri sunt Dei, qui ex Dei Domini sui mandato, tenentur liberos, servos, subditos suos ad Deum, ut illorum etiam Dominum, cui, cum suis, etiam illorum conscientiæ immediatè subsunt, & ad illius ministerium atque obsequium quasi manu ducere. Quare ministeriali tantum omnes illi hic pollent potestate: qui tum solummodo pro ministris Dei illa in parte habendi sunt, cū ministerio suo eum in finem utuntur: secus pro ministris infidelibus, imò perduellibus, habendi. Quam ob causam Christus dixit Luc. 14. vers. 26. *Si quis venit ad me, nec odit patrem suum, aut matrem, &c. non potest meus esse discipulus*: & Petrum conantem avertere ipsum à passione crucis, à se repulit ut Satanam, Matth. 16. vers. 22. 25. Hinc

orta est animosa illa Apostolorum ad Senatum Hierosolymitanum responsio, quem, non ut Senatum authoritate pollentem; sed tantummodo ut homines, quibus nulla ratione convenit Deo se opponere, respexerunt, dicentes, *Oportet Deo magis obædire quam hominibus*. In rebus ergo religionis, liberi parentibus, servi Dominis, subditi Magistratibus non subsunt, sed soli Deo, utpote in quem solum tendit omnis religio. Si à parentibus, Dominis, Magistratibus suis ad veram religionem promoveantur, illorum erga se, quod Deo exhibent, ministerium, oportet ut obædienter & grato animo agnoscant: secus, conscientias suas Deo, cui soli obstrictę sunt, non hominibus mancipent: in reliquis obædientiam fidelem illis præstent, liberi sc: parentibus, servi Dominis, subditi Magistratibus, quippe in quibus potestate quilibet suâ pollent. Sic etiam hac in parte non se Dominos liberorum, servorum, subditorum venditent, sed ministerialem suam sub Deo in illos potestatem, in bonum illorum sibi concessam, considerent, eumque in finem suâ illa ministeriali potestate utantur. Potestas illorum, quà parentum, quà Dominorum, quà Magistratuum, potestas est coactiva, & cum imperio conjuncta. (Nam non soli Magistratus cogunt subditos, sed & Parentes liberos, ac Domini servos.) Attamen non in religione,

gione, ubi nil nisi Ministros Dei ut se agnoscant oportet. Imo tam non competit illis hac in parte potestas coactiva, & cum imperio conjuncta, ut, nec Parentes liberos, nec Domini servos, nec Magistratus subditos suos ad veram religionem cogere possint aut debeant, nedum ad falsam. Et ratio illius satis se ipsam manifestat. Nam pietas & religio ratione nulla cogi potest, nec Deus delectatur religione coactâ. Spontaneum, liberum, vult obsequium, non coactum: & ad illud obtinendum, fidemque & pietatem animis humanis indendam, atque in illis confirmandam, aliud destinavit medium, sc: prædicationem verbi, & speciatim Euangelii filii sui, simul cum Spiritus sui efficacia. Unde Euangelium Apostolo dicitur Rom. 1. v. 16. *potentia Dei ad salutem*: atq; hoc est verbum illud Iehovæ, *lex ista exitura è Sion & Ierusalem*, Iesa. 2. v. 3. qua permoti Gentiles dicerent ad se invicem, *Ascendamus ad montem Iehovæ, ad domum Dei Iacob, & docebit nos vias suas, & ambulabimus in semitis ejus.* De quo spontaneo & prompto obsequio, & medio illi à Deo destinato, vid: virga, sceptro ministerii Euangelici, David vaticinatus est Psal. 110. v. 2. 3. *Virgam fortitudinis tuæ mittet Iehovah ex Sion, dominare in medio inimicorum tuorum. Populus spontaneus in die exercitus tui, in splendoribus sanctitatis.* Deberet quidem

dem potestas Parentum & Magistratuum sufficere liberis & subditis, ut ea ad verum Deo cultum, secundum legem ipsius, præstandum permoverentur: sed à corruptione humana hoc impeditur: quare potestas illa, quæ alioqui mitis planè ac blanda esset, & non nisi mere directiva, cogendi vi instructa & armata est. Hinc fit quod cum ad veram religionem cogere non possit potestas ista, saltem à malo, pro ratione quæq; sua arceat, & ad justitiam ac honestatem externam suos cogat. Cum ergo ultra non possit, ordinata etiam ipsa non est, nisi ut legis obædientiam urgeat; non autem ut Euangelium administret, aut fidem & obædientiam internam animis inserat, nec ultra contendere ipsi licet: eamque ob causam Parentibus virga, & Magistratibus etiam gladius est commissus; sed gladius externus, corporalis, chalybeus, non spiritualis: nisi quatenus ipsi, gladio spirituali Christo subjecti, ut ejusdem Ecclesiæ sub Christo membra, dona sua etiam aliis Ecclesiæ membris ex charitatis lege communicant. Alius autem est gladius, quo qui natura rebelles sunt subiguntur, & Deo Christoque ejus morigeri redduntur, *vivus sc: Dei sermo & efficax, qui penetrantior est gladio quovis ancipiti, & pertingit usque ad divisionem animæ simul ac spiritus, compagumque & medullarum, & discretor est cogitationum atque intentionum*

cordis,

cordis, de quo Apostolus Heb. 4. v. 12. Hic verò non Magistratibus, sed Ecclesiæ Christi, sive Christi ministris est traditus. Unde & idem Apostolus dicit 2. Corinth. 10. v. 4. 5. *Arma sua & Ecclesiæ Ministrorum militiæ, non esse carnalia, sed Dei potestate valida ad subversionem munitionum: dum ratiocinationes* (ait) *evertimus, omnemque sublimitatem quæ extollitur adversus cognitionem Dei, & captivam ducimus omnem cogitationẽ ad obœdiendum Christo.* Hac autem subversione & captivitate non coguntur cogitationes, ut invitæ Christo subsint solo pœnæ metu, sicut qui à Magistratu pœnæ metu à malo absterrentur, & ad externam tranquillitatem adiguntur: sed, intuitu præstantiæ & æquitatis causæ, ducuntur ut liberè & libenter Christo se subjiciant. Quum ergo Magistratus subditos suos ad veram religionem & obædientiam Christo exhibendam cogere non possint, quomodo eos qui formaliter eorum subditi non sunt, sed à Christo mittuntur ut subditos eorũ sibi adducant, & ad jugũ suum liberè subeundum permoveant, cũ imperio ad id præstandũ cogere & adigere possent?

Si rogas, An ergo Magistratus potestate sua coactiva nihil possit pro Religione, ejusque exercitio? Respondeo, multum posse, ut ante pluribus in locis ostensum. Verum quoad rem quæ hîc speciatim movetur: Vel Religio in publico viget intemerata, de-

ta, debitusque in Ecclesia ordo obtinet, ad religionem puram & inviolatam conservandam idoneus: vel adulterata est religio aut salutis doctrina, &, loco debiti ordinis ac disciplinæ, introducta tyrannis in Ecclesiam; ut nunc se res habet in Papatu, & in veteri Ecclesia aliquando factum fuit, Arianorum & aliorum hæreticorum per Ecclesiam grassantium tempore. Si prius: quid opus est potestate coactiva Magistratus? Disciplina ipsa Ecclesiastica Pastores omnes & Ecclesiarum Inspectores in ordine continebit, & officio debitè fungi faciet. Atque hæc causa est ob quam Remonstrantes, veriti ordinem & Disciplinam Ecclesiæ, sollicitationibus suis fraudulentis & nefariis, Magistratus aliquos eo impulerunt ut Synodos annuas celebrari prohibuerint, & Classibus nonnullis ac Consistoriis quid agi illic vellent præscribere, & vi sua coactiva ad id exequendum adigere ea aggressi sint. Fit autem interdum ut, ordine Ecclesiastico vigente, refractarii quidam reperiantur, qui ordini & judicio submittere se præfractè recusent. Contra eos imploranda coactiva potestas Magistratus; quandoquidem tales non nisi coactiva vi, quæ penes solum est Magistratum, coerceri, & à publico removeri possint. Vbi tamen non petendum à Magistratu ut nudè, simpliciter, & absque causæ cognitione, quasi cæco impetu in ju-

dicio

dicio Ecclesiæ acquiescat: sed fundamenta judicii ecclesiastici aperienda, & causæ æquitas Magistratui ostendenda & demonstranda, ut is qui se judicio legitimo, & ex causæ æquitate lato, pertinaciter opponit, tanquam refractarius, & publici ordinis perturbator, à publico removeatur. Sic Ecclesiæ sua manet potestas & disciplina, agnosciturque Magistratus ordinis publici vindex & assertor. Ita actum à Magistratu nostro supremo in causa Remonstrantium sive Arminianorum. Quamvis enim interdictæ essent, quæ singulis annis haberi solent Synodi, sive Particulares sive Provinciales: Consistoria tamen habebantur in singulis Ecclesiis, & in variis districtibus, ex Ecclesiis conjunctis constituti conventus qui dicuntur Classicales: unde factum ut, non obstante illo interdicto, ordo Ecclesiasticus non planè collapsus fuerit. Convocata itaque fuit, & ordine consueto, ex omnibus Ecclesiarum per Regiones Unitas Belgicas Reformatarum Synodis provincialibus, congregata Synodus dicta Nationalis, in qua, modo legitimo, & ordine Ecclesiastico, Remonstrantiū sententia examinata, ventilata, & judicata, atque ut à verbo Dei aliena rejecta fuit. Remonstrantes, qui quali essent ingenio in Synodo ipsa manifestum satis fecerant, ut judicio Synodi acquiescere recusarant ante, ita & à ministerii

rij sui functione publica desistere omni modo denegassent, nisi publica D. D. Ordinum, tum Generalium, tum singularum provinciarum, ut earum supremi Magistratus, authoritas accessisset, qua à publico abstinere, & jubebantur, &, ubi necessitas postulabat, vi cogebantur. Ecclesiasticus conventus, potestate sua Ecclesiastica, de doctrina, quæ in Ecclesiis Reformatis (ex quarum Pastoribus. Doctoribus, & Inspectoribus compositus erat) doceri deberet, judicavit Ecclesiasticè. Iudicium intellexit, & judicandi modum observavit, per delegatos suos, supremus harum Provinciarum Magistratus, & doctrinam in Synodo ista confirmatam ac stabilitam, in ecclesiis publicis obtinere, inque publicum subditorum suorum bonum, & ad publicam pietatem promovendam, in publico audiri debere, judicavit politicè. Quia autem Remonstrantes, qui se pro ecclesiarum Reformatarum publicarum Pastoribus venditabant, judicio isti, publica sua, ut supremi Magistratus, authoritate in publicum bonum sancito, non velle acquiescere observabant, potestate sua coactiva à publico removendos illos esse prudentia etiam sua censuit Politica.

Si autem posterius accidat, vid: ut religio plane sit adulterata, Ecclesia corrupta, hæreticive passim in Ecclesia grassentur, & ordo Ecclesiasticus in tyrannidem abierit,

rit, (ut in Papatu usuvenit) adeò ut Ecclesia falsa removeri, vera in ejus locum substitui, religio repurgari, collapsusque ordo Ecclesiasticus restitui, & tyrannis profligari ex Ecclesia debeat, quis dubitet quin ad hanc rem potestatem suam cum imperio conjunctam in publico exercere Magistratus possit, ut religionem & doctrinam adulteratam, cum illius præconibus & propagatoribus, è publico removeat, & ejus loco veram obtinere faciat? Hoc enim pertinet ad vim Magistratus coactivam, qua, ut publicus utriusque tabulæ legis custos ac vindex, omnem Idololatriam, ac falsum religionis cultum, è publico arcere, non potest tantum, verum & debet; & qui illum introducere satagunt cohibere. Sed velim rogatum D. Vedelium. 1. An Magistratus facere id debeat ut Dominus & supremus Inspector Ecclesiæ; an verò ut Caput Reipublicæ? 2. An Magistratus potestate sua coactiva cogere possit illos Ecclesiarum Pastores, ut, loco falsæ, quam conventibus suis tradunt, doctrinæ, veram eis propinent? Si ait, doceat hoc cum natura & conditione regni Christi posse consistere, ostendatque quo modo tum non faciat Magistratum Pastorum, ut ministrorum & subditorum suorum, Dominum in Ecclesia. Si negat, explicet quo sensu dixerit, *Magistratum habere potestatem imperandi personis Ecclesiasticis, ut officium* *suum*

suum rectè, atque secundum præscriptum verbi divini, faciant, & nisi officium suum rectè, impigrè, & vigilanter faciant, eas puniendi.

Ex his patet, Discrimen à Vedelio datum non satisfacere: non enim docet quo modo Vedelius non statuat Dominium Magistratus in Ecclesia. Perperam quoque illum dicere, *Hoc illud ipsum esse discrimen quod inter Potestatem Magistratus circa res religionis, & res merè civiles, in Consideratione ritè statuitur.* Nam 1. Non datur tale discrimen inter res Religionis & res merè civiles, quale D. Vedelius in responsione sua ad considerationem meam dedit. Hoc enim si esset, liceret quidem Magistratui imperare illicita & impia in rebus civilibus, sive quidvis imperare personis Ecclesiasticis in rebus civilibus, non autem in iis quæ religionem concernunt. Quod planè falsum & ἀθεόλογον est. Tam enim non licere Magistratui illicita imperare in rebus civilibus, quam in rebus quæ ad religionem pertinent, ut supra ostensum, ita & sua luce clarum est. 2. Tale ego discrimen inter res ad religionem pertinentes, & inter res civiles, non dedi: novi enim probè dari illud non posse. Sed rogavi an Thesis illa Vedelii sic absolutè poni debeat? & quidem ea de causa, quod subditus in iis omnibus, in quibus potestatem habet magistratus cum imperio conjunctam & coa-

ctivam,

ctivam, Magistratui morem gerere debet, &, ni fecerit, seditiosus habetur. Movi istam quæstionem ut D. Vedelio materiam præberem & occasionem, hac de re, uti & de aliis, attentius cogitandi. Hoc si in animum suum induxisset, nō neglexisset mentem suam hac de re evidentius paulò explicare, ne dubium ita atque ancipitem in variis, uti jam fecit, lectorem à se dimitteret.

Sic ergo habeat D. Vedelius. Magistratus in Republica, & Pastores in Ecclesia, ambo ministri sunt Dei: illi in regno universali potentiæ, hi in regno speciali gratiæ. Illi, quà supremi Magistratus, immediatè sub Deo: hi immediatè sub Christo. Illi præditi potestate coactiva ex vi legis; hi sola ministeriali & directiva, virtute Euangelii succedente, & virtute directiva legis, ut certæ ac immotæ regulæ justitiæ internæ ac spiritualis quæ grata est Deo. Vtrique invicem inservire, & ad officium utrimque suum ritè obeundum promovere, & animare debent. Magistratus Pastores ut rectè utantur sua potestate ministeriali directiva. Pastores iterum Magistratus, ut debitè utantur potestate sua coactiva cum imperio conjuncta. Sic & invicem, si hi illive exorbitent, reprehendere, & in viam revocare, ut unius & ejusdem Domini famulos, cui se utrique, pro ratione quisque sua, fideles exhibere, & in cujus gloriam,

homi-

hominumque bonum, ministerium suum impendere & dirigere tenentur, quale quid supra Cap. 14. D. Petrum Martyrem docentem audivimus. Quem in finem potestatem quoque suam, pro ratione muneris & functionis suæ, adhibere oportet. Ea tamen conditione, ne quisquam alterorum limites invadat, illorumve potestatem sibi tribuat. Sicut ergo Pastoribus, quamvis Magistratuum peccata corripere possint imò debeant, non licet, vel subditos in Magistratum incitare, vel leges Politicas figere aut refigere, vel Potestatem Magistratuum sibi arrogare: ita nec oportet Magistratus potestatem suam in fraudem Ministerii Ecclesiastici, administrationisve Clavium regni cœlorum, convertere; aut alias Pastoribus & rectoribus Ecclesiarum ea eripere, sibique tribuere, quæ ad curam inspectionemque Ecclesiasticam pertinent. Ita ut Magistratibus non liceat præscribere Ecclesiarum Pastoribus non tantum ea quę cum sanâ doctrinâ & vero Dei cultu pugnant; sed nec illa quæ in debita inspectione & cura Ecclesiis præstanda eos impediant, aut inspectionem & directionem rerum Ecclesiasticarum ad munus illorum pertinentium iis adimant.

Dices, Quid si Pastores, aut in officio faciendo negligentes sint, aut potestate sua abutantur, an non licebit Magistratibus potestate sua coactiva, vel impellere illos,

vel

vel coercere? Respondeo ex supra explicatis. Vel pura adhuc religio vigebit in Ecclesia, cum usu disciplinæ Ecclesiasticæ; vel illa adulterata erit, & hæc in tyrannidem conversa. Hoc si sit, exturbanda erit, cum falsa religione, Ecclesia adultera, cum tyrannide sua; & sic simul cum tyrannico regimine Pastores infidi. Si vero illud; Ecclesiasticæ disciplinæ usus sufficiet ad tales, vel coercendos, vel exturbandos. Hic si velit Magistratus censuram in Pastores non satis ordinatos exercere, vel pœnam iis infligere, præterito ordine Ecclesiastico, aut, vel neglecto, vel inverso ejus regimine; non video quo pacto à culpa turbatæ Ecclesiæ, aut violati juris Ecclesiastici, ritè absolvi queat: Hoc enim, & cum institutione Iesu Christi Servatoris nostri, ac proinde cum verbo Dei: & deinde cum Ecclesiarum omnium confessionibus ac praxi pugnaret.

CONCLUSIO.

VT ergo tandem concludamus, Fatemur nobis displicere, & quidem (ut putamus) meritò, modum agendi D. Vedelii, qui, cum Bellarmino sc: dimicans, arma nulla, nisi Reformatorum Theologorum testimonia, produxit; quasi illa magni faciant scriptores Pontificii. Æquè, credo, ac nos faceremus Sorbonistarum,

Scho-

Scholaſticorum, & Ieſuitarum teſtimonia contra nos prolata. Quid ſi hyperaſpiſtes aliquis Bellarmini (quandoquidem inter vivos hic eſſe deſiit) exurgens, una unica reſponſione libellum Vedelii refutet & rejiciat, dicens, nullius apud nos ſunt omnia veſtrorum dicta & teſtimonia, utpote ab hæreticis profecta, ac proinde omnia ſimul una litura delemus, an non excuſſa eſſent ipſi omnia ſua arma, nuduſque & inermis ſtatim ad alia reſpicere cogeretur? Cur iſta non in primo conflictu protulit? An prius armis ſuis nudari, profligari, & hoſtibus ſuis deridendum ſe præbere voluit, antequam de armis validioribus & ſolidioribus cogitandum putaret? Sed lector non prorſus obeſæ naris facilè obſervabit qua arte hæc fabula agatur.

Quin nec hoc probare poſſumus, quod, Paſtores & Doctores reformatarum Eccleſiarum Belgicarum petens, eiſdem armis contra eos decertet. Quid enim ſunt Eccleſiæ Reformatæ, & unde nomen illud ſortitæ ſunt? Quia ſc: exploſis & ejectis Papatus abuſibus & ſuperſtitionibus, ad normam verbi divini ſe reformarunt; ſive priſtinam Chriſtianitatis formam, falſa doctrina & Idolomania Papatus obliteratam, è verbo Dei recuperarunt: ideoque omnem humanam authoritatem pro nihilo ducentes, ad ſolam divinam, quæ in S. Scriptura Vet: & novi Teſtamenti viget,

gèt, provocarunt, & adhuc provocant. Quam ob causam omnia quæ Pontificii, non tantum è suis Scholasticis doctoribus, verum etiam è veteris Ecclesiæ dictis Patribus, protulere, ad verbi divini trutinam appendenda & exigenda judicarunt & pronunciarunt: sicut & ante, tum prisci illius ævi, tum & nostri hujus seculi, doctores, de se, & scriptis suis, fieri voluerunt & postularunt. Nunc itaque ex solis fere Ecclesiæ nostræ doctoribus probare institutum suum, nihilque fere aliud dicere quam, Sic sentiunt doctores nostri, hæc est sententia communis omnium Ecclesiarum Reformatarum, & similia, quid est nisi obsoletum illum atque explosum morem revocare, & ad Pontificiorum redire vestigia? Novimus Reformatos Theologos longè melius sentire Pontificiis, ac proinde in majori apud nos debere esse pretio: sed unde hoc, nisi quia quod sentiunt & docent è verbo Dei didicerunt, cui se, suaque omnia dicta & testimonia, subjecta esse ipsi professi sunt, hodièque profitentur: non autem quod ipsis, authoritatis ipsorum causa, credendum, aut de ipsis illud αὐτὸς ἔφα pronunciandum sit. Si ergo bene, & verbo Dei consentaneè, sentiunt, docent, & scribunt, fidem apud nos inveniet illorum sententia, non ideo quod illi ita sentiunt, docent, scribunt, pronunciant; sed quia id sentiunt, docent, &c.

cum, & ex verbo Dei. Nec propterea temerè illorum ſententiam rejicimus, aut rejiciendam cenſemus. Reveremur enim illos, & veneramur, ut inſignia Eccleſiæ lumina, & divinæ erga nos benignitatis inſtrumenta præſtantiſſimâ; quare nec ab illorum ſententia, niſi gravi admodum de cauſa, recedendum exiſtimamus: &, cum illorum ſententia è ſcriptis illorum producitur, accuratè, penſitatis omnibus quæ & præcedunt & ſequuntur, ſcopoque totius orationis ritè conſiderato, eam inveſtigamus, ut de ea certò nobis conſtet. Solum monemus, ne mos ille apud nos paulatim invaleſcat, quem nonnullos ſequi jam obſervamus; qui egregios ſe præſtitiſſe ſibi videntur, cum haud pauca Theologorum, & virorum alicujus nominis, dicta & teſtimonia, quæ pro ſententia ſua facere exiſtimant, in unum congeſſerunt, ut ſc: eam tanta authoritate ſtabilitam, tantoque teſtimoniorum acervo munitam & circumvallatam, extra omne contradictionis periculum conſtituant. In quo haud multum à Scholaſticorum Pontificiorum more abludere videntur, eruditionem ſuam egregiè ſe oſtentare arbitrantium, quod multa doctorum, tum pro ſua, tum contra ſuam ſententiam, nomina & loca numerare valeant. In quo cum ſe eruditos, induſtrios, & qui multos doctorum libros evolverint, exhibere geſtiunt,

veri-

veritatem involvunt, chartas maculant, lectorem fatigant, dubiumque & anxium, ut plurimum, relinquunt, nec nisi humanis opinionibus saturant, adeoque bonas horas male collocare faciunt. Proponatur nuda veritas, res tractanda explicetur perspicuè, declaretur & confirmetur ex verbo Dei, & ex ipsa rei natura, prout in Dei verbo consideranda exhibetur: tum si quis insignis locus, aut egregia aliqua declaratio, magni alicujus viri de re eadem occurrit, & illa subjiciatur: non ut ejus certetur authoritate, sed ut ipsius juvemur accurata explicatione, agnoscentes quod Deus in ipsum contulit spirituale donum: ut quod ipsi, aut non dextrè satis, aut non tam eleganter, atque ab illo factum est, explicare valemus, ipsius verbis, aut explicatius, aut elegantius & concinnius, proponamus. Sic nec lectori nebulam offundemus, nec veritatem obscurabimus, nec nimium authoritati humanæ tribuemus, nec numero certabimus, nec bonis authoribus, qui in tanto numero mutilati & truncati proferri plerumque solent, injuriam faciemus: veritati verò in apertum, productæ suum honorem primum, deinde & doctori egregio atque illustri secundum ab illo honorem, prudenter & cum judicio, dabimus.

Putabit fortè aliquis hæc ita à nobis dici, ne nostræ à tantorum virorum senten-

tia opinionis diversitas facile observetur. Verum si quis ita judicabit, ille se, non tam veritatis studiosum, quam humanæ authoritatis admiratorem esse prodet, & simul summam nobis faciet injuriam. Res enim ipsa, & rationes etiam hujus nostri moniti, contrarium evidenter testantur: Et quam parum allegatorum istorum copia opinionem suam confirmare potuerit D. Vedelius, accuratum D. Revii Examen luculenter docuit. Quare non est quod nobis, nostræve sententiæ, à magnis illis viris metuamus. Hæc enim nostra distincta explicatio ad mentem illorum melius percipiendam apprimè faciet. Nam quandocunque de authoritate & potestate Magistratus circa res Ecclesiasticas loquuti sunt, nihil minus intenderunt, quam ullam Ecclesiæ, ut regno Christi, facere injuriam; ejusve jus ac potestatem aliqua in parte imminuere. Observandum, qua occasione, & contra quos, tam amplè de potestate ista loquuti sint. Occasionem ipsis præbuit Pontificiorum arrogantia, & injuria potestati Politicæ ab eis illata. Contra illos stylum strinxerunt, adversus illorum immanitatem, authoritatem & potestatem Politicam tutati sunt, quam & nos, contra Pontificis Romani adulatores, & Synagogæ Antichristianæ assentatores, tueri quam acerrimè, cum magnis istis viris nunquam detrectabimus. Cæcam ut à toto

populo,

populo,& ab omnibus Laicis,ita & à Magistratibus, Romanus Papa, & Ecclesia Papalis, exigit obædientiam. Sibi volunt in omnibus credi, fidem haberi, obædiri, sine examine ullo, sine ulla doctrinæ aut religionis propositæ ad Dei verbum collatione, ea tantum de causa quod sic jubeat Pontifex, sic statuat Ecclesia Romana. Immanem hanc dicimus tyrannidem in animas & conscientias quorumvis hominum, & diabolicam arrogantiam, qua sibi imperium soli Deo debitum in eas admetiuntur. Hinc est quod, sicut ab omnibus eam volunt agnosci doctrinam ut salutiferam, eamque Deo exhiberi religionem, quam ipsi præscribunt; ita & à supremis Magistratibus sua authoritate eandem stabiliri, defendi, ac propagari postulent: eos omnes qui non promtè id præstiterint, anathematis fulmine ferientes, & regia, vel suprema potestate, quocunque possunt modo spoliantes. Ut nos immanem illam tyrannidem meritò detestamur, ita & magistratibus judicium de religione, de doctrina salutari, de statu & conditione Ecclesiæ Dei, ultrò concedimus, quin & illud eis competere docemus, urgemus, inculcamus. Cogitandum enim ipsis esse diximus quam velint in ditione sua religionem publicè doceri, quem cœtum, ut Ecclesiam Dei, authoritate sua debeant munire, qua doctrina, ut verè salutari, bonum subdito-

rum suorum spirituale verè possit promoveri. Hoc est quod voluerunt magni illi viri, qui tyrannidi Papali obnitendum, libertatemque & potestatem Magistratuum asserendam sibi esse arbitrati sunt: ne cum plebe ac populo cæci ducerentur amplius, quò Papalis vellet fastus & superstitio: sed de religione debitè edocti, falsamque à vera secernentes, eam in publico exerceri juberent, suaque authoritate munirent, quam ipsi verbo Dei consentaneam esse agnoscerent; contrariam vero falsam eâdem potestate sua ejicerent & exterminarent.

Interea est Ecclesia Dei vera; Ecclesia Papatui opposita; Ecclesia quæ, ut populum, ita & Magistratum, istam docet libertatem judicandi, illum quidem de doctrina & religione quam amplecti, istum verò de ea quam in publicum producere, & authoritate sua sancire debeat: Ecclesia quæ, ut regnum Christi, suos habet Ministros, regimen suum, potestatem suam, disciplinam suam à Rege Christo ipsi traditam; sed spiritualem, & à Politica potestate longè diversam, ut in præcedentibus satis fuit declaratum. Hanc Ecclesiam, cum ordine suo, potestate, regimine, disciplina, in publicum admittere, sancire, tueri, ac defendere debet Magistratus, utpote omnis boni ordinis ac regiminis, nomine Dei, assertor ac vindex; & cui à Deo mandatum,

tum,

tum, ut filium suum, Sionis regem, reverenter agnoscat, sceptraque imperii sui humiliter ei submittat. Hoc cum vera religione semper conjunctum est, adeò ut qui accurato, juxta Dei verbum, instituto judicio, veram religionem, & salutis doctrinam debitè cognoscit, etiam veram Dei Ecclesiam, ejusque ordinem ac regimen, modò rite attenderit, facile cogniturus sit: & è contrario, qui veram Dei Ecclesiam rectè cognoscit, veram religionem, & salutis doctrinam, necessariò cognoscat: vera enim Ecclesia non, nisi per veram, verbo Dei consentaneam, doctrinam cognoscitur. Hinc, ut doctrina veritatis, & religio intemerata, ex verbo Dei cognosci debet, ita & vera Ecclesia, cum ordine, Ministerio, ac disciplina sua: ac proinde, ut Magistratus religionem, ita & veram Ecclesiam, ex utriusque recta cognitione, sancire in publico, & authoritate sua munire tenentur. Nam ut illa veram salutis doctrinam, & cultum Deo gratum, complectitur; ita & hæc regnum est Christi spirituale, ad quod recipere se debent quotquot salutis volunt fieri participes; cujus Ministerio suos congregat, pascit, & recreat Deus, cujusque disciplina regi eos vult, & ad salutem æternam manu duci.

Peccant itaque à parte una Pontificii, qui suo Pontifici absolutum, non in Ecclesias tantum, sed & in regiones, provin-

cias, respublicas, & regna omnia, in rebus ad religionem pertinentibus, tribuunt imperium, adeò ut judicium de religione in publico exercenda, quod supremo Magistratui ipso jure competit, ei ademtum, ad suum illum transferant Pontificem. Sed ab altera etiam parte peccant Arminiani, cum quibusdam adulatoribus, qui supremum in Ecclesiam in terris dominium, cum summo de rebus Ecclesiasticis, non tantum in publico, sed etiam in Ecclesia, judicio ac regimine, Magistratui transscribunt. Nam ut illi, quod Magistratui supremo debetur, suo arrogant Pontifici: sic hi, quod Ecclesiæ Pastoribus & Inspectoribus competit, tradunt Magistratui, adeòque Politicum quendam, loco Ecclesiastici, Papatum extruunt.

Nec ista potestas Ecclesiastica, aut in Ecclesiam dominium, ex eo competit magistratui, quod Papismum potestate sua profligarit, religionemque veram sua authoritate sanciverit. Non enarrabo hìc à quibus initiis huc usque progressa sit, quorumque auspiciis incrementa ceperit, viresque in his regionibus acquisiverit, vera religio. Hoc solum dico, quorumcunque auspiciis huc usque conscenderit, & adhuc stet, cum religione Ecclesia vera & orthodoxa, non posse tamen ex eo ullum Magistratui concedi in Ecclesiam dominium, utpote quod soli Christo à Patre datum

est.

est. In libertatem se vindicavit Magistratus, non tantum ut ipse sua frueretur libertate, sed ut conscientiæ etiam subditorum, jugo illo excusso, sua gauderent; ut vera religio; in nominis divini gloriam, & regni Christi propagationem, obtineret in publico; utque Ecclesia, quæ vera Dei est Ecclesia, opera ministrorum suorum sua uteretur, utpote à Christo derivata, potestate & disciplina. Sicut & ille ipse Magistratus jugum excussit Hispanicum, non tantum suæ authoritatis tutandæ, sed & unicuique jura sua ac privilegia, quà publica, quà privata, asserendi gratia. Unde sicut, virtute remotæ istius tyrannidis, quilibet suo fruitur jure, suis gaudet privilegiis, ita & omni merito iis gaudere debet Ecclesia Dei. Quum ergo ex eo quod Magistratus noster supremus tyrannidem profligavit è regionibus nostris unitis, dominium sibi nõ adscribit in jura ac privilegia singularum urbium municipalia, aut in jura familiarum & patrum familias privata & œconomica: quid causæ esset quod, liberata à Pontificis Romani tyrannide Ecclesia, Magistratûs rursum subire deberet dominium? An hac in parte minor est Ecclesia republicâ quâvis, aut familiâ particulari? Atque hoc solum est quod petimus & urgemus, ut scil: Ecclesiæ veræ orthodoxæ sua potestas, regimen suum, ordoque, cum disciplina quæ in eâ vigere debet,

juxta inſtitutionem Chriſti Servatoris & Capitis ſui, ſalva & integra maneant. Quod ipſum & Synodus Provincialis, Auſtralis & Borealis Hollandiæ, Anno 1582. Harlemi congregata, in ſua ad Remonſtrantiam Magiſtratus cujuſdam reſponſione petiit, ut ſupra audivimus.

Mirum eſt & dolendum nos natura adeo vacillare, ut nunc in hanc, nunc in illam partem, leviculo momento deflectamus, & plerumque nobis accidat quod ſtultis accidere ſolet, qui, vitia dum vitant, currunt in contraria, nunquam cum virtute in medio conſiſtentes. Cum Eccleſiaſtici poteſtati ſuæ Eccleſiaſticæ nimium tribuerunt, in immanem eam convertere tyrannidem. Nunc, cum tyrannis illa profligata eſt & abolita, ne ſc: ea repullulet & recrudeſcat, ipſam poteſtatē Eccleſiaſticam legitimam, è verbo Dei petitam, ſuppreſſam volunt alii & protritam, dominiumque Magiſtratus in Eccleſiam invectum. Meritò ejecta eſt poteſtas tyrannica Papalis: at non ideo in contrarium abeundum, ut ſcil: Dominium Magiſtratus tyrannidis illius Papalis locum occupet. Laude digni ſunt magni illi viri, Eccleſiæ Dei reformatores, atque, ut falſæ doctrinæ, ac fœdæ idololatriæ, ita & abuſus Eccleſiaſticæ poteſtatis, profligatores: ſed laude digni non ſunt qui illorum dictis & argumentis, Papatus abuſui oppoſitis, in veræ, & verbo Dei conſentaneæ,

neæ,

neæ, potestatis Ecclesiasticæ præjudicium abutuntur. Consideretur itaque seriò quis fuerit abusus Ecclesiasticæ potestatis in Papatu. Consideretur quæ sit natura & conditio Ecclesiæ, regimenque ejus spirituale. Consideretur denique quibus se opposuerint magni illi viri, & quo fine assertam voluerint supremi Magistratus circa res Ecclesiasticas potestatem; & res, quæ aliàs tricis maximè involutis impeditissima videtur; plana per se fiet & expedita.

Sed dicunt aliqui, metuendum esse, ne ex Potestate istâ Ecclesiasticâ, ejusque exercitio, ejusmodi rursum tyrannis, qualis in Papatu obtinuit, oriatur. Verum rogo qua ratione? An Christus talem constituit in terris Ecclesiam, talem ei concessit potestatem, quæ, nisi redacta sub potestatem & dominium Magistratus, in tyrannidem abire debeat? An rei usus, remoto abusu, conservari non potest? An res, ejusque usus, metu abusus tollendus est? Quis unquam ita desipuit? At quid est (quæso) in Ecclesia Reformata, quod vel minimam metus illius causam præbere debeat? Papatus ortus est ex hierarchia, quæ originem suam traxit ex imparitate Ministrorum Ecclesiæ, quum inter illos unus, nomine & titulo Episcopi, inter reliquos, Presbyteros dictos, eminere cæpit. Quum enim Episcopi in singulis Ecclesiis præfecti essent Presbyteris, paulatim imparitas in-

ter diversarum Ecclesiarum Episcopos invecta est: unde factum ut, inter variorum districtuum & diversarum urbium Episcopos, unus reliquis sit præpositus, ex quo Patriarchalis eminentia, & progressu temporis, summus ille Pontificatus originem sumsit, ac tandem obtinuit. Episcopalis potestas, & in ea summi Pontificis authoritas, ingruente barbarie, plebem primò, deinde & eminentiores, ac ipsos denique summos Magistratus, ad rerum sacrarum ignorantiam, cæcamque, quam Ecclesiæ præstare deberent, ignorantiam adegit. Ipsi Imperatores, Reges, & supremi Magistratus, ex præpostera in Ecclesiam reverentia, dominio illi Ecclesiastico se submiserunt, rati amplectendum sibi esse, absque ullo examine, quicquid ab Ecclesia propositum statutumque esset. Tandem stabilita ista Papali, Archiepiscopali, & Episcopali hierarchia, & impressa animis Magistratuum abjecta illa humilitate, & erga Ecclesiam veneratione, Ecclesiasticos omnes imperio & potestati Magistratuum, etiam in rebus civilibus, eximendos esse visum fuit: donec tandem in summos Magistratus insurgere, eorumque coronas & sceptra sibi subjicere, & in eos imperium sibi arrogare, conata sunt summa illa Romanæ hierarchiæ capita. Quid (quæso) in Ecclesiis Reformatis Belgicis reperitur, quod vel minimam istarum rerum præ se

ferat

ferat speciem? Quinimò omnia ibi sunt contraria. Nullus ibi obtinet ordo Episcopalis, nulla hierarchia. Omnes Pastores parem inter se gradum ibi sortiuntur, & hoc ipsum, ut ordinis ipsorum quasi basis & fundamentum, primum in constitutionibus Ecclesiasticis occupat locum. Pastoribus additi sunt seniores, peculiariter sic dicti, ut cum Pastoribus Ecclesiarum Rectores & Inspectores. Et ne, vel ipsum Presbyterii Collegium, è Pastoribus & Senioribus compositum, in Pastorum & Ecclesiæ ministrorum aliorum electione quidpiam committat quod in Ecclesiæ detrimentum cedere possit, etiam Diaconis suffragium in ista electione conceditur, ut ita integer clerus, sive totus ordo Ecclesiasticus, in tanti momenti opere occupetur. Nulla hic exigitur cœca obædientia. Nihil magis in votis habent Ecclesiastici, quam ut populus ipse, & Magistratus, doctrinam salutis, sive veram religionem, & quæ eò pertinent, intimè pernoscat: nec unquam melius habuerunt Ecclesiæ, quam cum versatæ fuerunt sub Magistratibus insigni doctrinæ cælestis & rerum Ecclesiasticarum cognitione imbutis: tales enim norunt quid sit Ecclesia, quidve ea debeat, & quid ei debeatur. Conservetur, stabiliatur, sanciatur ordo iste: maneat illa inter Pastores æqualitas: adhibeantur porrò Pastoribus Seniores: nulla jaciantur

hierar-

hierarchici ordinis fundamenta: quisque sua sit contentus sorte, quod Christi est & Ecclesiæ ejus, non quæ sua sunt quærens: det operam quilibet ut se Deo fidelem, & piis omnibus exemplum pietatis, probitatis, modestiæ, humilitatis, & sancti pro orthodoxia Deique gloria Zeli exemplum præbeat; nec opus erit ut vel minimum tyrannidis Papalis metum Magistratus quispiam concipiat. Hoc voveo, hoc opto. Itaque in pio hoc voto hunc tractatulum meum finio. Deus gressus nostros in viam veritatis ac pacis perpetuò dirigat. Amen.

Unum moneo & obtestor, ut cui volupe erit hanc meam Dissertationem legere, eam legat sine præjudicio, aut affectu pravo; considerans, non quis dicat, sed quid dicatur: idque ad verbi divini trutinam sincerè examinet. Legat autem eam integram, à capite ad calcem, nihil prætermittens, non frustatim, nec per partes. Cohærent enim omnia inter se, & mutuam sibi lucem fenerantur. Quod ad rei (ut dici solet) substantiam; & præcipuum, quo tota hæc Dissertatio mea nititur, fundamentum, veritatem ipsam me exposuisse certò persuasus sum. Res enim ipsa hîc sua luce micat, & oculis omnium, qui vel affectibus præpediti non sunt, vel oculos suos ad splendentem veritatem non occludunt, sese ingerit: attamen in iis quæ ex illo fundamento deducuntur, vel ei superstru-

untur,

untur, me hallucinari & labi potuisse non diffiteor. Quare si quis in iis hallucinationem aliquam offenderit, ejus benignè me moneat, & gratum mihi præstabit officium. Quam si talem esse comperero, nec monitorem ipsum errasse, meum autem cum veritate convenire, evincere potero; errorem meum lubens fatebor, meque, non meis conceptibus & affectibus, sed soli veritati litare, & Ecclesiarum incolumitati studere, re ipsa demonstrabo. Tu Lector (quisquis es) eundem affectum nobis exhibe.

F I N I S.

Elenchus

Elenchus Capitum & Materiarum.

Caput

ERRA-

ERRATA

Quædam ſic corrigantur.

Pag. 69. lin. 23. lege, (*fidelium.*)
Pag. 103. lin. 6. pro (*Eccleſiam*) lege, *Eccleſiaſticam.*
Pag. 290. lin. 11. lege, (*& ſui.*)
Pag. 295. lin. 7. à fine, lege, (*hallucinatur.*)
Pag. 302. in tit. cap. 16. lege, (*reſponſiones D. Parai.*)
Pag. 312. lin. penult. lege, (*nunquam concedere voluerunt.*)
Pag. 320. lin. 8. lege, (*prædeceſſore.*)
Pag. 333. lin. 9. à fine, lege, (*Magiſtratui.*)
Pag. 345. lin. 18. lege, (acceperit *eam* mediatè.)
Pag. 351. lin. 9. à fine, lege, (*Act.*1. *v.*23.)
Pag. 356. lin. 8. lege, (*poteſtate.*)

LVGD. BATAVORVM,

Excudebat JOHANNES JANSONIUS à DORP.

ANNO cIↃ IↃ C XLII.